

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
XXX**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
I PARS**

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXTINGUETUR

R O M A E 1 9 7 3

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituant*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chiropistica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XVI, Romae, 1954-1972

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanicum).
- Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).
- Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA-DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.
- Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.
- Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
XXX**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
I PARS**

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXTINGUETUR

R O M A E 1 9 7 3

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

I N D E X R E R U M

Introductio	Pag.	VII
Bibliographia selecta	»	XI
Abbreviationes	»	XV
Textus documentorum	»	3
Elenchus epistolarum	»	245
Elenchus sigillorum	»	249
Index nominum propriorum	»	251
9 tabulae		

INTRODUCTIO

Volumine XXX Elementorum ad Fontium Editiones seriem inchoamus documentorum in Tabulario olim Regiomontano asservatorum, nunc autem in Archivo Gottingensi ("Staatliches Archivlager Göttingen") depositorum. Proprietas autem est Fundationis "Preussischer Kulturbesitz".

Hactenus semper in voluminibus nostris (excepto nonnisi vol. II) in lucem edebantur documenta, relationes Poloniae cum statibus exteris quodammodo illustrantia. Nunc autem res aliter se habet, cum hic non de statibus exteris agitur, sed relationes tractantur inter regem Poloniae et ducem in Prussia, eiusdem regis Poloniae feudarium; ideoque scripta hic edita diversam prorsus et unicam in genere suo pro historia Poloniae obtinent functionem.

Hoc ditissimum sane Archivum imprimis continet Archivum Ordinis Theutonicorum ("Ordensarchiv") ac Archivum Ducale ("Herzogliches Archiv").

Haec ultima pars anno 1525 incipit, quo scilicet anno Ordine Theutonicorum in Prussia dissoluto, ultimo eius Magistro Generali Alberto marchione Brandenburgensi confessionem Augustanam amplexo, Ducatus in Prussia saecularis status, prout Regni Poloniae feudum, conditus est.

In omnibus fere eiusdem Tabularii sectionibus documenta ad res Polonicae spectantia inveniri inter omnes constat. Nobis tamen interim in animo est eas tantummodo eius partes publici facere iuris, quae ex toto ad res gestas Poloniae se quodammodo referunt.

Itaque in collectione epistolarum ex variis statibus Regiomontum missarum ("Herzogliches Brief-Archiv", quod in singulorum scriptorum regestis abbreviatione HBA designatur) duae eius portiones exclusive res Polonicae attingunt, quarum prima sigla B "Polen", altera vero C "Westpreussen" (in qua de rebus Prussiae Regalis, provinciae Regni Poloniae 1466-1772, tractatur), designantur.

Pars B porro subdividitur in sequentes sectiones:

- B 1 epistolae regum et reginarum ("Könige und königliches Haus"),*
- B 2 epistolae procerum Polonorum spiritualium et saecularium ("Geistliche und weltliche Grosse"),*
- B 2a epistolae Gabrieli Tarto,*
- B 2b epistolae Bernhardi Pohibel,*
- B 3 epistolae civitatum ac civium ("Städte und Bürger"),*
- B 4 epistolae officialium Regni ("Königliche Beamte").*

Ex hac tanta documentorum abundantia, quae in parte HBA, B continentur, interea non nisi scripta ad annos 1525-1572 pertinentia, id

est a Ducatus fundatione usque ad mortem Sigismundi Augusti Poloniae regis, ex stirpe Iagellonica ultimi, nunc in lucem edere constituimus.

Quod cum confecerimus, ad duas alias, prorsus diversas collectiones nos convertere oporteret, eas videlicet, in quibus concepta et exempla custodiuntur epistolarum, quae eodem annorum spatio Regiomonte in Poloniā mittebantur: "Konzepte der herzoglichen Zeit B" et "Ostpreussische Folianten".

Cuius deinde copiosissimi litterarum commercii pernecessarium fere supplementum esset, ut ex sectione H B A, H, Legationes ("Gesandtschaften") nuncupata, permulta typis mandari possint documenta legationum, quae vel Regiomonte ad reges Poloniae, vel ex Polonia ad duces in Prussia tunc temporis mittebantur.

Ob hanc immensam sane documentorum molem, quorum fere omnia maximi sunt ad res Polonicas momenti, a regula hactenus per nos observata omnia scripta vel in extenso edendi, vel solummodo in regestis lectori indicandi, discedere certamque distinctionem facere coacti sumus. Itaque instituimus partem documentorum in extenso, partem vero in regestis, edere, quemadmodum v.g. editores Actorum Tomicianorum etiam faciunt.

Qua in distinctione peragenda hoc potissimum ducebamus, ut scripta ad res publicas pertinentia in extenso, ad privatas autem in regestis ederemus. At haec tamen distinctio saepe sat difficilis erat, cum non semel in scriptis de rebus mere privatis tractantibus quaestiones iuridicae v.g. occurrent, quae eo ipso ad res quoque publicas spectant. Nihilominus tamen multorum documentorum non nisi regesta confecimus, eorum praesertim, in quibus de commendationibus tractatur, de profugis restituendis, de privatorum querimonias, de gravaminibus etc.

Quia igitur regesta sine textibus in extenso allatis his in voluminibus sat saepe occurrent, iccirco in fine singulorum voluminum omnia regesta separatim, ut hactenus facere solebamus, denuo non ponimus, confecto non nisi personarum, a quibus et ad quas scribebatur, elenco una cum datis singulorum documentorum.

In regestis ponuntur nomina locorum et personarum in forma, ubi fieri potuit, per nos correcta et communiter usitata; si tamen nascebantur dubia quoad rectam alicuius nominis scriptiōnem, formam in manuscripto occurrentem intactam servavimus.

Cum omnia fere huius collectionis documenta originalia sint, ideo in rari solum casibus, ubi exemplar occurrebat, id in regesto notavimus, scripta vero originalia sine ulla nota reliquimus. Similiter etiam linguam, qua documentum scriptum erat, tum tantum indicavimus, cum de idiomate vernaculo agitur, utpote maior documentorum pars latino sunt sermone conscripta. Sub singulorum documentorum regestis indicavimus primum sectionem principalem, in qua asservantur, e.g. H B A, deinde etiam litteram et numerum addidimus, quibus singulae eiusdem sectionis partes designantur, e.g. B 1. Adiunxitus quoque litteram K. cum numero, quoniam documenta totius sectionis H B A in scriniolis chartaceis ("Kasten"), numero designatis, custodiuntur.*

Scribendi modum talem plerumque servavimus, qualis in singulis scriptis occurrit, v.g. actepimus, successus, littore, mee, eciam, diligencia

* In his documentis latinis occurunt interdum etiam nomina ex sermonibus vulgaribus desumpta, polonica vel germanica. Cfr. v.g. N. 233.

etc., in scribendis tamen litteris maiusculis et minusculis nonnihil ordinis introducere conantes.

* * *

*Hoc praesens volumen nostrum, huius seriei primum, epistolas continet regum reginarumque Poloniae ad ducem Albertum annis 1525-1548 scriptas, id est primam partem sectionis H B A, B 1 usque ad annum obitus Sigismundi I complectitur. Nonnulla horum scriptorum iam in Actis Tomicianis publici iuris facta sunt.**) Quae quamquam ad res publicas referuntur, hic tamen in regestis solum indicantur. Non multa documenta, in aliis fontium collectionibus iam edita, lectorum commoditati consulere volentes hic repetivimus, praevia editione semper annotata. Titulos eorum, a quibus vel ad quos scribebatur, semel tantum plene afferimus, cum videlicet prima vice enumerantur.*

In regestis sine textu in extenso editis id quoque indicamus, an litterae sint manu propria regis vel reginae subscriptae. Si eiusmodi indicatio deest, dicere volumus eas regis vel reginae subscriptione carere, sed "ex commissione" vel "ex mandato" regis vel reginae scriptas esse. "In dorso" non nisi rarissimis in casibus transcribimus, tum praesertim, cum praeter nomen et titulos eius, cui scribitur, breve etiam summarium epistolae continet, plerumque germanice scriptum.

*In sigilla, quibus documenta munita erant, attentius animadvertere placuit eo vel magis, quod ob supramemorata chartacea scrinia, in quibus documenta custodiuntur, multo melius quam alibi conservata apparent.****)*

* * *

Nunc iam restat, ut maximas agamus gratias Archivi Regiomontani (nunc Gottingam translati) moderatoribus, imprimis autem eiusdem Directori, Doctori Ioanni Koeppen, deinde Doctori Bernardo Jähnig, qui nobis documenta hic collecta non solum publici iuris facere libenter permiserunt, verum etiam humanissimam exhibuerunt hospitalitatem et in opere hoc ad exitum deducendo auxiliarem suam non denegarunt operam.

Praecipuas quoque habemus eis gratias pro eo, quod textuum lingua germanica scriptorum revisionem et cum manuscriptis collationem libenter in se suscepérunt; qui textus transcripti sunt a Georgio Steen Jensen (Hafnia) et a Doctore Francisco Dirnberger (Vienna), quibus etiam sinceram hoc loco gratitudinem nostram exprimimus.

C.L.

**) Si haec documenta in Actis Tomicianis non ex originalibus, sed ex copiariis in variis collectionibus in Polonia sparsis edita sunt, id in regestis annotavimus, v.g. "ex codice Koricensi". Ex eisdem copiariis editae sunt in Actis Tomicianis nonnullae epistolae Sigismundi I ad ducem Albertum missae, quarum originalia in Archivo Regiomontano prorsus desunt. In aliis etiam editionibus (apud Dogiel, Krasinski, Menckenium) non paucae inveniuntur epistolae Sigismundi Augusti ad Albertum, quae etiam desunt in H.B.A. Regulis nostris fideles in praesenti volumine ea tantum documenta produximus, quae in Archivo Regiomontano asservantur, cetera hic non pertinent.

***) Elenchus sigillorum numeris praeditorum invenitur in p. 249, imagines vero eorum photographicae in tab. I-VI ponuntur. Uniuscuiusque documenti sigillum numero est designatum, ut clarius innotescat, cuiusmodi sigillo singulae epistolae munitae erant.

BIBLIOGRAPHIA SELECTA

(*Hic elenchus bibliographicus complectitur quoque opera, quae non solum ad hoc, sed etiam ad duo alia volumina sequentia eiusdem seriei referentur. Quibus in voluminibus invenientur etiam, si quae erunt, ad hanc bibliographiam supplementa.*)

Fontes*) :

- ACTA TOMICIANA, Posnaniae-Wratislaviae-Cracoviae, 1874-1966, I-XVII.
- AKTA PODKANCLERSKIE FRANCISZKA KRASIŃSKIEGO, I-III, Warszawa, 1869. ssq.
- BRANDT, ASVERUS von, Die Berichte und Briefe, I-IV, Königsberg, 1904-21, V, Hameln, 1953 (ed. A. Bezzenberger).
- CODEX DIPLOMATICUS REGNI POLONIAE ET MAGNI DUCATUS LITHUANIAE, IV, Vilnae, 1764 (ed. M. Dogiel).
- DOLEZEL, S. et H., Die Staatsverträge des Herzogtums Preussen, Berlin-Köln, 1971.
- FISCHER R., Briefe und Aktenstücke aus der Zeit der preussischen Herzöge Albrecht und Albrecht Friedrich. (*Altpreussische Monatsschrift* 1888).
- HUBATSCH W., Europäische Briefe im Reformationszeitalter, 200 Briefe an Markgraf Albrecht von Brandenburg-Ansbach, Kitzingen, 1949.
- LANZ K., Correspondenz Karls V, I-III, Leipzig, 1844-1864.
- MENCKENIUS B., Sigismundi Augusti Polonorum regis epistolae, legationes et responsa... Lipsiae, 1703.
- NUNTIATURBERICHTE AUS DEUTSCHLAND, Gotha-Berlin, 1892 ssq.
- PAWIŃSKI A., Sprawy Prus Książęcych za Zygmunta Augusta, 1566-1568. Dyariusz trzykrotnego poselstwa komisarzy królewskich (*Źródła dziejowe VII*) Warszawa, 1879.
- TSCHACKERT P., ed. Urkundenbuch zur Reformationsgeschichte des Herzogtums Preussen, I-III, Leipzig, 1890.
- WOELKY C. P. ed. Urkundenbuch des Bisthums Culm, Danzig, 1884.

Studia :

- ANGERMANN N., Studien zur Livlandpolitik Ivan Groznyjs, Marburg/Lahn, 1972.
- BODNIAK S., Polska a Bałtyk za ostatniego Jagiellona, Kórnik, 1946.
— — Polska a Prusy Książęce na schyłku rządów Albrechta (*Rocznik Gdańsk IX-X*, 1937).

*) Fontes hic adducuntur iam secundum titulos, iam editores, iam auctores, pro eo, prout saepius adhibentur ideoque notiores esse solent.

- DALTON H., Johannes a Lasco, Gotha, 1881 (*reprint* Nieuwkoop, 1970).
- DEMBIŃSKA A., Polityczna walka o egzekucję dóbr królewskich w latach 1559-64. (*Rozprawy historyczne Towarzystwa Naukowego Warszawskiego XIV*, 1935).
- — Zygmunt I, Poznań, 1948.
- DOLEZEL S., Herzog Albrecht und die polnische Königswahl (*Zeitschrift für Ostforschung*, 13, 1964).
- — Das preussisch-polnische Lehensverhältnis unter Herzog Albrecht von Preussen, Berlin-Köln, 1967.
- DONNERT E., Der livländische Ordensstaat und Russland (Der livländische Krieg und die baltische Frage in der europäischen Politik 1558-63), Berlin-Ost, 1963.
Rec. W. Czapliński (*Zapiski Historyczne*, Toruń, XXVIII, 1963).
- FIEDLER J., Ein Versuch der Vereinigung der russischen Kirche mit der römischen, Wien, 1862.
- FISCHER R., Achatius von Zehmen (*Zeitschrift des Westpreussischen Geschichtsvereines*, 36), 1897.
- FORSTREUTER K., Das preussische Staatsarchiv in Königsberg, Göttingen, 1955.
- — Vom Ordensstaat zum Fürstentum, Kitzingen, 1951.
- — Preussen und Russland von den Anfängen des Deutschen Ordens bis zu Peter dem Grossen, Göttingen-Berlin-Frankfurt, 1955.
- FUNDER W., Preussen als polnischer Lehensträger (*Die Nation*, Leipzig, 1954).
- FREIWALD H., Markgraf Albrecht von Ansbach-Kulmbach und seine landständische Politik..., Kulmbach, 1961.
- GOŁĘBIOWSKI E., Zygmunt August, Warszawa, 1962.
- GRAŻYŃSKI M., Spór ks. Albrechta z Polską o monetę (*Wiadomości numizmatyczne*, 1913).
- GUMOWSKI M., Pieczęcie królów polskich, Kraków, 1920.
- — Mennica wileńska w XVI i XVII w., Warszawa, 1921.
- — Dzieje mennicy toruńskiej, Toruń, 1961.
- GUMOWSKI M., HAISIG M., MIKULSKI S., Sfragistyka, Warszawa, 1960.
- GUNDERMANN I., Grundzüge der preussisch-mecklenburgischen Livlandpolitik im 16. Jahrhundert (*Baltische Studien* 52), 1966.
- HORN A., Die Verwaltung Ostpreußens seit der Säkularisation (1525-1875), Königsberg, 1890.
- HUBATSCH W., Albrecht von Brandenburg-Ansbach, Deutscherhochmeister und Herzog in Preussen, 1490-1568, Heidelberg 1960.
- JASNOWSKI J., Mikołaj Czarny Radziwiłł (*Rozprawy Historyczne Towarzystwa Naukowego Warszawskiego*, 1939).
- KAMPF W., Preussen, Polen und das Reich im 16. Jahrhundert (*Altpreussische Forschungen*, 19, 1942).
- KARGE P., Kurbrandenburg und Polen. Die polnische Nachfolge und die preussische Mitbelehnung 1548-63 (*Forschungen zur brandenburgischen und preussischen Geschichte*, 11, 1898).
- — Herzog Albrecht und der Deutsche Orden (*Altpreussische Monatschrift*, 1902).

- KLEINERTZ E. H. B., Die Politik der Landstände im Herzogtum Preussen 1562-68, Inaugural-Dissertation, Bonn, 1972.
- KOLANKOWSKI L., Elekcja Zygmunta Augusta (*Kwartalnik Historyczny XIX*, 1905).
- — Elekcja Zygmunta Augusta (*Przewodnik naukowo-literacki*, 1906).
- — Zygmunt August, Wielki Książę Litwy, Lwów, 1913.
- KROLLMANN C., Das Herzogtum Preussen 1525-1640 (*Deutsche Staatenbildung und deutsche Kultur im Preussenlande, Königsberg*, 1931).
- LENZ W., Riga zwischen dem Römischen Reich und Polen-Litauen 1558-82 (*Wissenschaftliche Beiträge zur Geschichte v. Ost-Mitteleuropa* 82), Marburg/Lahn, 1968.
- MEINHARDT G., Die Münz- und Geldgeschichte des Herzogtums Preussen, 1569-1701, Heidelberg, 1959.
- OMMLER, N., Die Landesstände im Herzogtum Preussen 1543-61, Inaugural-Dissertation, Bonn, 1967.
- PILlich W., Königin Katharina von Polen in Linz (*Historisches Jahrbuch der Stadt Linz*, 1966).
- PIWARSKI K., Niedoszła wyprawa tzw. radoszkowicka Zygmunta Augusta na Moskwę, 1567-8 (*Ateneum Wileńskie*, 1927).
- — Dzieje Prus Wschodnich w czasach nowożytnych, Gdańsk, 1946.
- POCIECHA W., Królowa Bona, I-II, Poznań 1949, III-IV, Poznań 1959.
- — Albrecht (*Polski Słownik Biograficzny*).
- RASMUSSEN K., Die livländische Krise, 1554-61, Kopenhagen, 1973.
- TERLECKI W., Reformy monetarne Zygmunta I (*Wiadomości numizmatyczne*, 1963).
- VETULANI A., Lenno pruskie od traktatu krakowskiego do śmierci ks. Albrechta 1525-68 (*Studia historyczno-prawne, Kraków*, 1930).
- — Polskie wpływy polityczne w Prusach Księżeckich, Gdynia, 1939.
- — Prawny stosunek Prus Księżeckich do Polski, 1466-1657 (*Czasopismo prawno-historyczne*, 1954).
- — Władztwo polskie w Prusach Zakonnych i Księżeckich, Wrocław, 1953.
- WOJCIECHOWSKI Z., Zygmunt Stary, Warszawa, 1946.
- — Le traité de Cracovie 1525 (*Revue Historique*, 1952/207).
- ZINS H., Powstanie chłopskie w Prusach Księżeckich 1525 r., Warszawa, 1953.

ABBREVIATIONES

- A.T. — Acta Tomiciana
- Dogiel — Codex Diplomaticus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, IV, Vilnae, 1764.
- Fischer, Briefe — Briefe und Aktenstücke aus der Zeit der preussischen Herzöge Albrecht und Albrecht Friedrich (*Altpreußische Monatsschrift*, 1888).
- Tschackert — Urkundenbuch zur Reformationsgeschichte des Herzogtums Preussen, Leipzig, 1890.
- Woelky — Urkundenbuch des Bisthums Culm, Danzig, 1884.

T E X T U S

N. 1.

Cracoviae, 5.VIII.1525.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de providendo iis membris Ordinis Theutonici, qui sese duci subiecerunt;
rex 2000 florenorum numerari iubet; de novo modo cudendi monetam.
Vest. sigilli II.
H B A, B 1, K. 294.
Iam ed.: A.T. VII, N. LX, (ex Cod. Korn.)*

N. 2.

Cracoviae, I.X.1525.

Documentum deest. Notula archivistica: Mandat des Königs von Polen an die Polnischen Woiwoden und Hauptleute dem Herzog von Preussen gegen seine aufrührerischen Unterthanen auf seine Requisition zu Hilfe zu kommen.

*Alia manu: Brief fehlt.
H B A, B 1, K. 294.
Regestum apud Tschackert, II, N. 409.*

N. 3.

Cracoviae, 3.X.1525.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
auxilia contra subditos eiusdem ipsi promittit.
Sigill. I.
H B A, B 1, K. 294.*

Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae tociusque Prussiae etc. Dominus et Heres.

Illustrissime Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Declaravit nobis abunde Nicolaus Nypczycz ex instructione Illustritatis Vestrae, astante et solicitante Magnifico Christophoro de Schydloviecz, Palatino et Capitaneo Cracoviensi ac Regni Poloniae Cancellario, de hiis motibus, qui proxime inter subditos Illustritatis Vestrae suborti sunt. Qui et si per Illustritatem Vestram sedari cepti sunt, sed, ut acce-

pimus, parum equis condicionibus. Et ideo in hiis, quae Illustritas Vestra medio eiusdem Nicolai Nypczycz a nobis postulavit, eam obaudire nolentes, omnibus Palatinis et Capitaneis terrarum Prussiae scripsimus in eum sensum, sicut idem Nypczycz nomine Illustratis Vestrae postulare videbatur.

Et insuper literas restium emisimus eo modo, quo Illustritas Vestra ex exemplo earum circa literas dicti Palatini Cracoviensis cognoscet. Designavimus etiam legatos nostros Magnificum Georgium de Bayzen, Palatinum Marienburgensem, et Achacium Cema, Capitaneum Slochovensem, ad conventum pro dominica post festum Sanctorum Simonis et Jude Montis Regii, aut ubicumque alias, per Illustritatem Vestram celebrandum, iniungentes et mandantes eis, ut id agant in eo conventu, quod illis eadem Illustritas Vestra sugeret et quod pertinet ad sedandos motus istos periculosissimos.

De moneta vero non potuimus certe hac vice votis et necessitatibus Illustratis Vestrae satisfacere, presertim cum paucos admodum consiliarios nobiscum habuimus et videbatur id facere contra ordinaciones et inscripciones pacis inter nos nuper factae. Sed propediem habebimus Conventum Regni Generalem, ad quem et consiliarios terrarum Prussiae vocabimus. In eo conventu huius postulacionis Illustratis Vestrae non obliviscemur, modo etiam ipsa tum hanc rem per literas suas nobis in memoriam revocet. Cupimus eandem Illustritatem Vestram bene et feliciter valere. Datum Cracoviae, tercia Octobris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, Regni vero nostri decimo nono.

a) Commissio Sacre Maiestatis Regie propriæ.
b) alia manu.

N. 4.

Cracoviae, 7.X.1525.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de auxiliis contra subditos ducis seditiosos; de interdictione cudendae monetae Gedanensis.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Affinis Charissime.

Accepimus litteras Illustratis Vestrae ex Thorunio vigesima octava Septembbris datas, quibus nobis id, quod paulo ante scripserat, scribit, nempe de illis periculis et pestiferis colonorum suorum motibus iam sublatiis et sepultis. Quae tamen, ne huiusmodi conatus in futurum emergant, conventum in Monte Regio pro dominica Sanctorum Simonis et Iudae Apostolorum indixit, ad quem Oratores quoque nostros duos nominatim cum certo equitatu mittendos peciit. Quos iam designavimus votisque in hoc Illustratis Vestrae satisfecimus. Misimus praeterea Cubicularium nostrum ad Illustrem Ducem Masoviae,¹⁾ item ad Palatinos pariter ac omnium districtuum Capitaneos atque universam nobilitatem terrarum Prussiae, ut omnes et singuli cum armis et equis in procinctu

essent, quo Illustrati Vestrae, cum requisiti per eam fuerint, presto esse possent.

Itaque satis existimamus huic malo pro tempore consultum esse. Si praeterea maioribus viribus opus erit, Illustrati Vestrae non deerimus. Porro, quod scribit illorum tumultuum autores et capita ad insulas nostras concessisse, ut illic quoque subditorum nostrorum animos concitarent atque inflamarent, quod nos in hoc precustodivit, gratias illi habemus. Que cum edocta fuerit, qui et quales huiusmodi nebulones sint, nos, ut scribit, affectamus cerciores reddat. Quin eciam id negotii officialibus nostris, quorum unus hic apud nos agit, dedimus, ut reppertum super eiusmodi latrones haberent, et cum illos invenerint, captivos in castro Mariemburgensi bene servent. Scrutati sumus insuper ab insulanis hic coram super eiusmodi rebus, qui se ea de re nihil scire asseverabant, ne fuisse quidem in hoc, ut committant, quo huiusmodi pestis aliquando ad se subrepet. Verum quod Illustritas Vestra operam suam tam praesentem offert in componendis tumultibus, si qui inter subditos nostros futuri erunt, id nobis gratum est maiorem in modum, studebimusque id studium Illustratis Vestrae erga nos compensare.

Cussionem monetae Gedanensis sub non contennendis poenis interdiximus. Alia non succurrunt, solum Illustratatem Vestram bene valere cupimus. Datum in arce nostra Cracoviensi, septima Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, Regni vero nostri decimo nono.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

1) *Ianussius.*

N. 5.

Petricoviae, 28.I.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Ioanne [Wilde] episcopo Simbaliensi, suffraganeo Varmiensi.

Sigill. I.

HBA, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Domine Princeps, Nepos noster Charissime.

Expositum est nobis nomine Reverendi Patris, Domini Ioannis Episcopi Simbaliensis, Reverendi Domini Episcopi Warmiensis¹⁾ in pontificalibus Vicarii, qui certam summam pecuniarum, simul et equum Priori et conventui monasterii Sanctae Trinitatis Divi Augustini, sub dictione Illustratis Vestre siti, mutuo dedit, eo quod tum temporis magna inopia premerentur. Subinde abactis monachis, quibusdam eciam sua sponte fugientibus, monasterium ipsum cuidam vasallo per Illustratatem Vestram, ut edocti sumus, ad inhabitandum traditum est, cum omnibus rebus et possessionibus eiusdem.

Si se res ita habet, videretur nobis aequum, ut Illustritas Vestra cum praefato Episcopo Simbaliensi, cui alioquin res familiaris satis tenuis,

ut accepimus, est, pro eiusmodi debito componeret. Hoc nimirum Illustritas Vestra rem aequam et se dignam, nobis vero non ingratam factura est. Que bene ac foeliciter valeat. Datum Petrikoviae, dominica proxima post festum Conversionis Sancti Pauli, anno Domini millesimo quingen-tesimo vigesimo sexto, Regni vero nostri vigesimo.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

1) *Mauritius Ferber.*

N. 6.

Petricoviae, 29.I.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de civibus Braunspergensibus; de vetito transitu militum per Poloniam
in Livoniam properantium.*

Vest. sigilli II.

HBA, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem et plurimam felicitatem.

Binas hiis diebus ab Illustritate Vestra accepimus litteras uno ferme eodemque tempore, hoc est die quarta Ianuarii ad nos scriptas: alteras, quibus controversias et lites quorundam civium Braunspergensium inter se nobis describit cupitque, ut res inter eosdem Braunspergenses eo tempore, quo Braunspergum possederat Illustritas Vestra, gestas et decisas, ratas habere imperaremus, alteras, quibus casum Petri Tzink, civis Posnaniensis, nobis significat, et ut ad Wratislaviensem Magistratum pro eo scriberemus, similiter ut Nobili Heyno Debricz, consuli et familiari Illustratis Vestrae, litteras securitatis per Regnum nostrum commeandi concederemus, rogat. Ad ultimum, ut pedites, quorum frequens numerus per Regnum nostrum ad Livoniam se recipiat, per Prefectos nostros arceamus, commonefacit. Et de rebus quidem Braunspergensium respondere et quidpiam attentare nunc nobis non vacabat, propterea quod simus itineri Cracoviam versus iam accincti. Simulac quia ex Consiliariorum nostrorum sentencia brevi in terras nostras Prussiae profectionem destinavimus, quo cum pervenerimus, facilis, ut speramus, erit causarum Braunspergensium transactio.

Ad Magistratum tamen Wratislaviensem pro Petro Tzink, similiter Heyno Debricz, per Regnum nostrum libere commeandi securitatis litteras dedimus. Prefectis insuper nostris imperavimus, ut talibus peditibus, de quibus commonefacit Illustritas Vestra, licenciam per Regnum nostrum commeandi intercludant atque prohibeant. Superest, ut Illustritatem Vestram feliciter valere optemus. Datum in Pyotrcow, feria secunda proxima post festum Conversionis Sancti Pauli, anno Iesu Christi MDXXVI, Regni nostri anno vigesimo.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

Marienburgi, 9.III.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de mutuis informationibus curandis et dandis; de his, quae in Germania
vel in comitiis Livoniensibus agentur contra regem et ducem.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus, etc.

Illustrissime Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Ea, quae nobis nuper Illustritas Vestra et per nuncium suum Geor-
gium Clingenbeck et item nunc litteris significavit, plene intelleximus. Gra-
tissima nobis sunt haec studia et officia eius, quod videlicet illa, que aut
ad se aut ad nos pertinere arbitratur, nobis e vestigio significare non
negligit. Scribit insuper nobis Illustritas Vestra se nihil operae et dili-
genciae pretermissuram, quin ea, quae ex nunciis suis intelliget, tum in
Comitiis Livoniensibus, tum in Germania adversum se agi, nobis quam
primum significaturam. Non possumus nos nisi apprime commendare
curam et diligenciam eius postulamusque eam, ut, si quid vel in Ger-
mania vel in Comitiis Livoniensibus agetur, quod nos et Illustritatem
Vestram attineret, de hiis omnibus nos faciat cerciores. Et nos curabimus
pariter Illustrati Vestrae de similibus rebus significare.

Quod vero attinet illum oratorem, qui apud nos nomine Magistri
Livoniae¹⁾ egit, cerciorem facimus Illustritatem Vestram, quod nos ad
postulata illius Magistri et subditorum nostrorum Magni Ducatus Litu-
aniae designaveramus commissarios nostros. Pariter et ille suos deputa-
verat, qui utrinque revisuri erant et, ubi opus esset, eciam facturi limites
inter ipsum Magnum Ducatum Lituaniae et terras Magistri. Prefixera-
musque tempus huiuscemodi limitacionibus pro festo Trium Regum, sed
quia Magister ob multas causas, quas nobis apperuit, pro illo die de-
signato Commissarios suos mittere nequivit, peciit a nobis medio illius
oratoris, dignaremur terminum et diem limitacioni illi prorogare. Itaque
fecimus. Habet Illustritas Vestra summam legacionis et peticionis illius
oratoris, quam Illustrati Vestrae libenter per has explicamus.

Postremo quod illum exploratorem attinet, nil de hoc in aula nostra
subodoravimus. Mandabimus tamen his, quorum opera in nostris et Rei-
publicae negotiis utimur, de huiusmodi homine singularem curam habere,
quo possit perspici et cognosci. Optamus etiam Illustritatem Vestram,
studeat quibuscumque modis nomen aut saltim cognomen huiusmodi viri
investigare et nobis significare. Illustritatem Vestram bene et feliciter
valere desideramus. Datum in Castro Mariemburgensi, feria sexta ante
dominicam Letare proxima, anno Domini MDXXVI, Regni nostri anno
vigiesimo.

^{a)} Commissio propria Sacrae Regiae Maiestatis.^{b)}

a)-b) *alia manu.*

1) *Valterus de Plettenberg.*

N. 8.

Marienburgi, 19.III.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negato per Samogitiam transitu militum Livoniensium Livoniam pe-
tentium.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus, etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos Charissime.

Perlibenter apperuimus Illustritatis Vestrae summam legationis Livoniensis. Quod vero scribit milites Livonienses per Samogithiam Livoniam petere, mandavimus quidem datis literis officiariis provinciae illius, observarent et prohiberent profectionem eorum. Sed iterum atque iterum id ipsum faciemus. Precipiemsu insuper et hiis Legatis, qui a Magno Ducatu Lituaniae ad nos venerunt, ut eiusmodi gentes arcerentur. Quod vero annonam trans mare non avehendam attinet, cum Illustritas Vestra apud nos feliciter constituetur, tunc faciemus id, quod ex utilitate utriusque nostrum fore arbitrabimur. Optamus Illustritatem Vestram optime ac feliciter valere. Datum ex arce Mariburgensi,^{z)} XIX Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Regni vero nostri vi- gesimo.

^{a)} Commissio propria Sacre Maiestatis Regie.^{b)}

In margine alia manu: Non eget responso.

^{a)-b)} alia manu.

^{z)} sic in ms.

N. 9.

Marienburgi, 25.III.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro notitiis machinationes certas contra se concernentibus gratias agit;
de prospectato matrimonio fratris ducis cum [Anna] relicta ducissa
Masoviae.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Accepimus binas litteras Vestrae Illustritatis. Alteris declarat, quae molimina fiunt in Germania adversus has terras, alteris repetit postulata sua de matrimonio fratris cum relicta duce Masoviae. Optime facit Vestra Illustritas, quod et pervestitat huiusmodi apparatus, qui fiunt adversum nos, tam in Germania quam etiam in Livonia, et nobis quae accipit, communicat. Rogamusque illam, ut et deinceps quidquid intellexerit, nobis significare non gravetur, ut nos quoque rebus nostris prospiciamus.^{a)}

De matrimonio, quod Vestra Illustritas optat, integrum nobis non est quidquam certi respondere absque Consiliariis nostris absentibus, hiis presertim, ad quos hoc negocium magis pertinet. Verum quando ad Regnum feliciter revertemur, quantum erit in nobis, ^{b)} libenter Illustrati Vestrae et Domui Brandenburgensi commodare et gratificari, tam in hac re quam etiam in aliis, curabimus.^{c)} Feliciter valeat Vestra Illustritas. Datum in arce nostra Marienburgensi, dominica Palmarum, anno Iesu Christi MDXXVI, Regni nostri anno vigesimo.^{d)}

^{e)} Commissio propria Regiae Maiestatis.^{f)}

- a) *hic in margine alia manu: de apparatus in Germania et Livonia.*
b)-c) *haec verba in ms. linea subducta sunt.* d) *hic in margine depicta est manus cum indice protenso, sub qua leguntur verba: Custodi diligenter has litteras, Cancellarie.*
e)-f) *alia manu.*

N. 10.

Marienburgi, 27.III.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de causa inter nobilem Martinum Hermensdorff, subditum ducis, et Marti-
num Lange, civem Gedanensem.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

N. 11.

Marienburgi, 5.IV.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Hieronymo Elsenyn, cive Stargardensi, cui frater Michael Elsenyn,
subditus ducis, portionem bonorum eius paternorum dare recusat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

N. 12.

Marienburgi, 5.IV.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro canonicis ecclesiae Quidzinensis, quorum bona sine ulla ratione ab-
lata sunt.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Iam ed.: A.T. VIII. N. XCIII, (ex Cod. Korn.)

Marienburgi, 16.IV.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de ducis annua pensione; de diligentiori custodia passuum ex Regno in
Prussiam Dualem; de mutuo congressu regis et ducis differendo,
donec rex certas res religionem concernentes transigat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Accepimus binas litteras Illustratis Vestre, quibus in primis scribit de hominibus, qui post inhibitionem nostram penetrare solent per dominia nostra. Id fieri arbitramur, quod sub specie artificum et mechanicorum plerique solent circumvenire custodias nostras. Mandabimus iterum officialibus nostris, nam illis hoc prius mandaveramus, ut in custodiendis passibus et itineribus sint diligentiores et oculatiiores.

Scribit etiam Illustritas Vestra de pensione annua, que illi restat a nobis solvenda, utrum eam consignari fecerimus Michaeli Maydel, civi Cracoviensi, ad festum Pasche preteritum necne? Scire velit nos priora duo millia, ita postulante Illustritate Vestra, ipsi Michaeli Maydel dari feceramus, de alteris vero duobus millibus, quia Illustritas Vestra nullam nobis significationem dedit, apud quem illa reponere deberemus, hactenus ea nullibi reposuimus, verum quandocunque Illustritas Vestra ipsa duo millia habere voluerit, mittat ad nos pro illis, et nos quolibet die parati sumus illa Vestrae Illustratati numerari facere.

Scribit preterea postulans, ut tempus et locum illi mutui nostri congressus designaremus. Id quidem iam diu Illustratati Vestrae facere polliciti sumus et faciemus, cum primum nos ex his negotiis explicaverimus, que turbatiora comperimus, quam unquam credidissemus, id quod opera eorum, qui verbum Dei ore duntaxat perstrepentes, re ipsa tam in divinis quam humanis rebus foedam et sceleratam peragunt tragediam, ad quam exterminandam et debitum ac conscientia et existimatio nostra, hactenus ubique illibata, nos compellunt. Et proinde rogamus Illustratatem Vestram, non gravetur paulisper expectare, donec hoc negocium transigamus, in cuius occupatione non possemus cum Illustritate Vestra ita libere conferre et tractare, ut communes res nostre postulant.

De reliquis rebus quando Deo bene iuvante conveniemus, abunde simul conferemus. Feliciter valeat Illustritas Vestra. Datum in arce nostra Marienburgensi, feria secunda proxima post festum Sanctorum Tyburci et Valeriani Martirum, anno Domini millesimo quingentesimo XXVI, Regni nostri anno XX^{mo}.

Commissio propria Regie Maiestatis.

N. 14.

Gedani, 30.IV.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*alacriter ducem expectat, sed nonnisi expeditis certis negotiis ipsum ad
se vocaturus est.*

Vest. sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime, salutem et felicitatem.

Scribit nobis Illustritas Vestra, quod non expectata vocatione sua ad nos, impellentibus eam arduis et maximis^{z)} momenti negotiis, ad nos venire decrevit. Nos, etsi, ut antea scripsimus, vocaturi eramus ad nos Illustritatem Vestrarum, sed id facere nolebamus, nisi expeditis hiis negotiis, quibus ad presens distinemur, quo liberius cum Illustritate Vestra esse et negotia nostra communia agere possemus. Verum cum Illustritas Vestra est iam in procinctu constituitque ad nos quam primum venire, nos adventum eius cum magna alacritate prestolabimur. Que optime et felicissime valeat. Datum in civitate nostra Gedanensi, feria secunda ante festum Sanctorum Philippi et Iacobi Apostolorum proxima, anno Domini millesimo quingentesimo sexto, Regni nostri anno vigesimo.

a) Commissio propria Sacre Regie Maiestatis.^{b)}

a)-b) *alia manu.*

z) *sic in ms.*

N. 15.

Gedani, 19.VI.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Christophoro de Deben in negotio piscaturae in flumine Drwęca (in
ms. Drwanceza).*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 16.

Gedani, 23.VI.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Iaroslao Łaski [de Lasco], palatino Siradiensi,

*pro Michaele Żelisławski; de bonis in Prussia Ducali venditis, quorum
pretium nondum ex toto persolutum est.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 17.

Gedani, 27.VI.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
nuntiat se iussisse scribi litteras commendatitias pro duce ad magistrum
[Valterum de Plettenberg] et commendatores Livoniae.
Sigill. I.
H B A, B 1, K. 294.*

N. 18.

Gedani, 6.VII.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut puniatur sutor, qui blasphemavit.
Sigill. I.
H B A, B 1 K. 294.*

*Sigismundus etc.
Illustrissime Princeps et Domine, Nepos Charissime.
Questus est hic coram nobis Reverendus in Christo Pater, Dominus
Ioannes¹⁾ Episcopus Culmensis, suo ac suorum subditorum Lubovien-
sium²⁾ nominibus, contra Generosum Paulum Fasolt, Vestre Illustratatis
in Eylaw Capitaneum, cuius quidam subditus artis sutorie, cum esset in
Lubawa in certis suis negociis, in reditu suo subduxit isthinc certam
statuam, sive imaginem, e sacello ante menia prefati oppidi Lubaw sito,
in quam in blasphemiam Dei et Sanctorum eius verbis ac ludibrio igno-
miniose exprobratus est, a quo prefati Domini Episcopi subditi iusticiam
consequi non possunt. Quamobrem Vestram Illustritatem affectamus,
quatinus ita curet, quo talis blasphemator per eundem Capitaneum Paulum
Fasolt ita corrigatur, ut tandem ceteris fiat in exemplum. Cum his Illus-
tritatem Vestram feliciter valere exoptamus. Datum Gdani, feria sexta
post festum Visitacionis Marie, anno Domini MDXXVI.*

^{a)} Commissio propria Regie Maiestatis^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

^{z)} sic in ms.

1) Konopacki.

N. 19.

Gedani, 12.VII.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
exemptionem Crispini Schombergk, proconsulis Montis Regii, ab ipsius
officiis civilibus postulat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

N. 20.

Gedani, 14.VII.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut reddantur profugi ex bonis Stanislai Bielowicz, tywonis Dirwanensis
in Samogitia.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 21.

Gedani, 16.VII.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut reddantur nonnulli rustici ("kmethones") et aliqui servi illiberi, pro-
fugi ex bonis Georgii Włodkowicz, tywonis Jeragolensis (Ejragolensis).

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 22.

Mariemburgi, 29.VII.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut restituantur profugi ex bonis Jussko Stankowicz, tywonis in Szawle.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 23.

Sochaczew, 16.VIII.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

se ad preces ducis quattuor presbyteros ac duos monachos ex carcere
liberari iussisse, sed alios quinque dimitti non potuisse.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustrissime Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Actepimus litteras Illustritatis Vestre, quibus nobis magnas agit et
habet gratias pro hiis captivis, quibus vitam ad preces Illustritatis Ves-

tre indulsimus et condonavimus. Sed quia subverebatur Illustritas Vestra, ne per occupationes nostras, quibus distinemur, incideret nobis de illis oblio, et ob id ad nos hunc suum tabellarium miserat et promissionem nostram nobis ad memoriam revocat. Mi Illustris Princeps et Nepos noster Charissime, certiorem facimus Illustritatem Vestram, quod mox post abitum Illustritatis Vestre a nobis e Mariemburgo, commisimus datis litteris, quibus manu nostra subscrispsumus, Reverendo Domino Episcopo Wladislaviensi,¹⁾ ut quatuor illos presbiteros captivos, videlicet Magistrum Iacobum Molner, Plebanum ad Sanctum Bartholomeum, Petrum Cenkye, Concionatorem ad Sanctam Elisabeth, Martinum, Concionatorem ad Sanctum Bartholomeum, et Iacobum Cnothe, ad Sanctum Ioannem, e carcerebus mitteret. Mandavimus item coram et Magnifico Palatino Poznaniensi Capitaneoque Mariemburgensi, ut illos duos monachos, diuicius in arce Mariemburgensi detentos, liberos emitteret ac extra fines Ducatus nostri educi faceret preciperetque illis, ut nusquam in Regno dominiisque nostris, simul et neque in Ducatu Illustritati Vestre, habeant tutum et securum incolatum, nihilque prorsus dubitamus, quin hec duo mandata tam ex parte Domini Episcopi Wladislaviensis, quam Capitanei Mariemburgensis, debite executioni demandata sunt, et illi, pro quibus Illustritas Vestra intercessit, dimissi sunt.

Sed quantum attinet illos quinque presbiteros captivos: Baltistarum, Capellatum Sancti Bartholomei, Dantiscanum, Iacobum Kynyg, Bartholomeum Knoth, Burkardum, Sancte Marie Capellatum, et Michaelem, Predicatorem Sancte Marie, de hiis nihil aliud Illustritati Vestre respondere possumus, quam ut postulamus illam, velit de illis sex emissis contenta esse, nam si vellemus eos Illustritati Vestre condonare, non possumus, propterea quod Pontifices, quibus super ea gente ius est et authoritas, nescimus que in loca illos deduci fecerunt. Optamus Illustritatem Vestram optime ac feliciter, una cum charissima sua coniuge, valere. Datum in Sochaczew, feria quinta in crastino festi Assumptionis Sanctissime Marie Virginis, anno Domini mille quingentesimo vigesimo sexto, Regni autem nostri anno vigesimo.

Ex commissione propria Regie Maiestatis.

1) *Matthias Drzewicki.*

N. 24.

Varsaviae, 1.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de bonis Nicolaus Pawłoczyński restituendis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Subditus Vestrae Illustritatis, Nobilis Nicolaus Pawłoczinski de districtu Ioansbergensi, deplorat vicem suam, eam videlicet, quod bonis suis, quibus tempore belli preteriti in Prussia gesti est privatus, hactenus

non sit restitutus. Vestra Illustritas non ignorat in concordia inter nos et illam facta, errata a subditis utriusque nostrum admissa, esse illis condonata et venie caligine obducta. Postularamus itaque ab illa, restitui faciat eidem subdito suo bona ipsius predicta, quemadmodum et nos quoque omnibus nostris pari censura affectis dudum iam restitui fecimus. Officium boni Principis et nobis rem gratam factura Vestra Illustritas, que bene valeat. Datum in civitate nostra Warschoviensi, die prima Septembbris, anno Domini MDXXVI, Regni nostri anno XX^o.

Commissio propria Regie Maiestatis.

N. 25.

Varsaviae, 4.IX.1526.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*ad litteras ducis, regem ad tuendum negotium evangelicum invitantes,
respondeat.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Iam ed. in vers. germ. Hubatsch, Europäische Briefe, p. 25.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime, salutem et omnis boni continuum incrementum.

Agens apud nos is Nobilis et Egregius vir Friderichus Fischer, Cancellarius et Orator Illustritatis Vestrae, reddidit nobis epistolam eius plane theologiam. Hanc libenter vidimus et legi audivimus. Qua nos Illustritas Vestra invitat ad suscipiendum et tuendum negotium Evangelicum. Nos, mi Illustris Princeps et Nepos noster tanquam Fili Charissime, favemus quidem negocio Evangelico illudque, ut nobis a maioribus nostris per manus traditum est, constantissime tuemur, sed ita favemus ac tuemur, quemadmodum Patres Sancti pie candideque et sinceriter illud tractaverunt, cuperemusque maiorem in modum, ut et Illustritati Vestrae Spiritus Domini donum hoc imparciat, quo ambo in unum sencientes, ommissis delitigacionibus, an Pontifici ducenda sit uxor vel non ducenda, et aliis id genus doctrinisque eorum, qui plus quaerunt carnalia quam spiritualia, doctrinam Iesu Christi non modo imitemur, sed eciam moribus et vita, quoad fieri potest, exprimamus, itaque nos attemperemus, ut alter alterius ope et opera suffultus, valeamus post haec Regna Regni celestis participes fieri. Bene et feliciter valeat Illustritas Vestra. Datum Varschoviae, quarta die mensis Septembbris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Regni nostri anno vigesimo.

^{a)} Commissio propria Sacre Regie Maiestatis.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

Varsaviae, 5.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
terrarum et civitatum Prussiae Regalis consiliariis
pro Elisabeth Bruckmann, Elbingensi.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Reverendis in Christo Patribus ac Magnificis, Generosis et Famatis terrarum et civitatum nostrarum Prussie Consiliariis, in conventu Grawdnicensi proxime futuro congregandis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverendi in Christo Patres ac Magnifici, Generosi et Famati, sincere et Fideles dilecti.

Memoria tenemus nos quendam pixidarium, qui erat Elbingi, eo quidem tempore belli proxime preteriti, in istis terris Prussie per nos gesti, ex eadem civitate nostra Elbingensi contra edictum nostrum discesserat, bonis suis omnibus hereditariis privasse et ea Consulibus illis ipsique civitati Elbingensi donasse. Quia tamen hactenus queri non cessat uxor prefati pixidarii, videlicet Elisabeth Bruckmannyn, illatum esse sibi quodam preiudicium et iniuriam in ademptione ipsorum bonorum marito suo, cuius excessum et penam seu mulctam pro illo ferre non tenetur, persertim cum ipsa nullum excessum aut delictum adversum nos vel civitatem Elbingensem commisisset, propterea quod nulla prorsus porcio dictorum bonorum eidem obtigisset et designata esset, asserens nonnullam eorum partem vel iure illo, quo cives Elbingenses utuntur, ad se legitime pertinere sibique omnino assignari et adiudicari debere.

Proinde, ut aliena non appetimus, ita unicuique pro suis bonis in Regno dominiisque nostris iusticiam debitam fieri et ministrari volentes, vobis committendum duximus et harum serie literarum committimus, ut posteaquam pro parte praenominate Elisabeth Bruckmannyn fueritis requisiti, accersitis ad se Consulibus ipsius civitatis nostre Elbingensis, disquiratis ab illis et ab aliis illius iuris, quod eidem civitati attributum est, peritis, an aliqua pars ipsorum bonorum memorato pixidario ademptorum cedere secundum idem ius debeat eius uxori necne. Huiusmodique causam mature expendentes, id, quod aequum et iustum et secundum iuris dispositionem fuerit, in ea ipsa causa decernatis ac finem illi debitum imponatis, ne ullis amplius querelis prefate Elisabeth ratione predictorum bonorum seu illorum sortis, quam ad se iure spectare dicit, impetamur. Pro officio vestro et gratia nostra non aliter facturi. Datum Warschowie, feria quarta proxima ante festum Nativitatis Gloriosissime Dei Genitricis, Domine nostre Virginis Marie, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Regni nostri anno vigesimo.

Commissio propria Regie Maiestatis.

N. 27.

Varsaviae, 13.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Nicolai et Barbarae de Staniska bonis hereditariis, ut ipsis restituantur.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 28.

Varsaviae, 18.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Alberto Rambielinski, ut ei coloni restituantur.*

Vest. sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 29.

Varsaviae, 21.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de restitutione bonorum hereditariorum filii Stephani Kowalewski de
Vitynie.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 30.

Varsaviae, 23.IX.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Laurentio von Hewen, cive Varsaviensi, cuius bona cives Montis Regii
tempore belli Pruthenici distraxerunt.*

Sigill. II.

*(Adest schedula Nicolai Nibschtitz pro Laurentio von Hewen germanice
scripta, Varsaviae, 30.VIII.1526).*

H B A, B 1, K. 294.

Cracoviae, 19.X.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de proscriptione civium seditiosorum, Gedanensium ac Elbingensium.*

Sigill. II.

*(Adest elenchus eorundem proscriptorum)
H B A, B 1, K. 294.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Non arbitramur latere posse Illustratatem Vestram, quomodo et nos ipsi Gdani existentes, et Elbingi Consiliarii nostri, ad tractandas Prussiae res a nobis illuc missi, plerosque seditiosos et facinorosos cives perpetuo exilio damnaverimus, ea videlicet lege, ne eis uspiam in universa terrarum Prussiae ditione receptum vel mansionem habere licaret. Nunc etiam identidem a reliquis civibus civitatum illarum precibus sollicitamur, ut in proposito et sentencia persisteremus, ne forte, sicubi tales seditiosos in vicinia manere contingat, contagione eorum motus iam sopiti et sedati rursus cooriantur et recrudescant.

Rogamus Illustratatem Vestram et pro necessitudine nostra hortamur, ut, si qui sic damnatorum in sceda^{z)} praesentibus inclusa descripti ab ea contenderint, ut eis in ditione sua sedes et domicilia figere liceret, id eis minime concedat. Et si forte aliqui se illuc iam contulerunt, eos a ditione sua procul arceat et propellat, ut videlicet malefactis eorum debita pena eos perpetuo maneat. Quod Illustratatem Vestram pro suo erga nos officio et mutuo nostro amore facturam non diffidimus et eam feliciter valere optamus. Datum Cracoviae, feria sexta proxima ante festum Sanctorum undecim millia Virginum, anno Iesu Christi MDXXVI, Regni nostri anno vigesimo.

a) Commissio propria Regie Maiestatis.^{b)}

a)-b) alia manu.

z) sic in ms.

Schedula adiuncta:

Nomina proscriptorum ex civitate Gdanensi:

Mester Gregor eynn Teschner
Jacob Vogt eynn Rimer
Hans Lade eynn Goltsmit
N. Bornholm eynn Goltsmit
Hans Drost eynn Goltsmit
Wilm N. eynn Gytermocher
Thomeke eynn Bosmann
Lorenz Maler eynn Koffmann
Lorenz Moer eynn Biertzapper
Lasarius Koffmann eynn Zeymmermann
Herman Woler eynn Schipper
Prosper Johann eynn Schipper
Hanns Ide eynn Schipper
N. Finkenoge eynn Sneyder

Thomas Kunnig vonn Lubeck
Berunt von Eyten eyn Koffmann
Erasmus Slottig eynn Koffmann
Hanns Juppe eynn Barbirer
Hanns Brede Staken Sthreuein
Paul Scholcz
Hanns Flescher eynn Lachssneyder
Adrian Flinth
Jacob Willembröck
Hinrich Antforst
Hinrich Korth
Wulff eynn Harnischwischer
Andreas der Swarcze Kofmann
Kerstenn Gildemester eynn Schipper
Hinrich Scholcz
Marten Newnockper
Hanns Kausch
Peter Erick eynn Schipper
Lucas Rosenkrancz eynn Wollemocher
Hanns Moler uuff Altenn Stad Dantzik
Daniel Kistenmacher
Nomina proscriptorum ex Elbingo:
Marterin Sibeneych
Balczer Biberfenger
Valentinn Hermann
Jorge Nawge

N. 32.

Cracoviae, 27.X.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut colonos profugos ex bonis nobilis Cholian Scheubel restitui iubeat.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 33.

Cracoviae, 24.XI.1526.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem.

*Agentibus nobis Gdani, ubi et Illustritas Vestra coram aderat, cives
nostris Gdanenses atque ex Magno Ducatu Lituaniae Cownenses magna
contentione nobis questi sunt se in ditione Illustritatis Vestrae, videlicet*

in Labiaw auctione theloniei plus solito gravari et emungi, pecierantque nos instantissime, ut cum Illustritate Vestra ageremus, quatenus taxam talis theloniei ad veterem et a multis annis servatam consuetudinem revocaret et restitueret. Illustritas Vestra, quo super ea re cum officiis suis conferre posset, negotium ad festum Sancti Bartholomei differre tunc voluit, nosque ad id tempus etiam Legatum nostrum in eo negotio ad eam in Montem Regium mittendum designaveramus. Verum Legatus ipse noster ob certas et iustas causas ad dictum tempus istuc venire non potuit, sed interim subditi nostri (prout ipsi asserunt) gravantur et emunguntur.

Itaque nos querelis eorum permoti, voluimus Illustritatem Vestram super eo negotio litteris nostris certiores reddere, certissime nobis persuadentes eandem in omnia, quae iusta et aequa sunt et sine nostrorum gravamine, consensuram. Ut autem quod semel neglectum est utique peragatur, constituimus dictis civibus nostris super predicta re thelonaria agendi aliud tempus et locum, ad rem transigendam satis aptum, videlicet Braunspergum oppidum, diemque proximum Epiphaniae Domini, quo etiam et Legatum nostrum mittemus. Illustritatem etiam Vestram hortamur, velit etiam suos illuc mittere et rem ad eum finem dirigere et deducere, ne subiecti nostri ob gravamen talis theloniei apud nos querendi et lamentandi iustum habeant occasionem. Quod Illustritatem Vestram et pro equitate sua et pro adhortatione nostra facturam non dubitamus. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae, sabato ante festum Sancte Katherine, anno Domini MDXXVI, Regni nostri vigesimo.

a) Commissio propria Regie Maiestatis.^{b)}

a)-b) alia manu.

N. 34.

Cracoviae, 27.XI.1526,

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut oratores ad comitia Cracoviensis mittat ad rem monetariam tractandam.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

Sigismundus, etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Memoria tenemus illa, que mutuo de re monetaria locuti sumus, estque nobis cordi negocium illud. Quare expectabimus alacriter adventum Oratorum Illustritatis Vestre. Et quia certis causis Comicia Cracovie, et non Pyotrkovie, pro festo Sanctorum Trium Regum cum regnolis nostris celebrabimus, ideo postulamus Illustritatem Vestram, mittat ad nos Oratores suos hoc pro illo tempore, hoc est pro conventu, quem subditis nostris ad solemnia Sanctorum Trium Regum Cracovie indiximus, cum quibus de hiis rebus libenter tractabimus. Eciam cerciorem facimus Illustritatem Vestram, quod Domini Consiliarii terrarum Prussie habituri sunt conventum Thorunii pro die festo Dive Lucie. Si ergo opus est

Illustritati Vestre cum illis aliquam habere hac re monetaria intel-
ligenciam et collocucionem, non gravetur illuc Nunctium suum vel Ora-
tores aut litteras mittere. Optamus Illustritatem Vestram, una cum sua
charissima ac inclita coniuge, optime feliciterque valere. Datum Cracovie,
feria tercia proxima post festum Sancte Katherine, anno Domini MDXXVI,
Regni vero nostri XX.

^{a)} Commissio Regie Maiestatis propria.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 35.

Cracoviae, 10.XII.1526.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
cubicularium quendam mittit, ut dux per illum ipsi scribat.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 294.

N. 36.

Cracoviae, 2.I.1527.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
cives Gedanenses, Vilnenses et Caunenses de teloneo graviori questi sunt,
ad quam rem Braunspergae transigendam Achatius Czema (in ms.
Czeme) deputatur.

Vest. sigilli II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. XXI.

N. 37.

Cracoviae, 2.I.1527.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Mauritio figulo, proscripto Gedanensi, Monte Regio recepto, qui post
suum Gedanum redditum, in carcerem coniectus, culpam suam con-
fessus est.

Vest. sigilli II.

(Adsunt 3 schedulae de eius confessione germanice scriptae)

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed. A.T. VIII, N. CV (ex Cod. Korn).

N. 38.

Cracoviae, 6.I.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Erhardo [Queiss] episcopo Pomesaniensi
pro canonicis Pomesaniensibus in carcerem coniectis, ut liberentur.
(a rege manu propria subscriptum)*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. 35. (antea etiam A.T. VIII, N. XCIV)

N. 39.

Cracoviae, 22.II.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro fratribus de Carwowo (Karwowski), ut bona hereditaria in Prussia
obtineant.*

Sigill. II.

(Adest schedula ex 29.VI.1525 in testimonium)

H B A, B 1, K. 295.

N. 40.

Cracoviae, 28.II.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Gedanensis sententia regia damnatis Gedano exulantibus et in
Prussia Ducali degentibus; sive de laicis sive de clericis rex vehe-
menter protestatur.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. 58 (etiam antea A.T. VIII, N. CIX ex Cod. Korn).

N. 41.

Cracoviae, 28.II.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit, quod se certiores fecit de moliminibus magistri Theutonici
et ducis Brunsvicensis; de teloneis; de Ioanne Nympcz, cui rex ad
preces ducis vitam donavit.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. 57.

N. 42.

Cracoviae, 8.III.1527.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Gregorio Grebel, cive Vilnensi, ut ei ligna, vulgariter wanczosch dicta,
in Prussia Ducali retenta, reddantur.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

N. 43.

Cracoviae, 17.IV.1527.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de non nominato capitaneo Samogitia, quem dux commendat.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

N. 44.

Cracoviae, 9.V.1527.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de teloneis a duce auctis; pro sacerdotibus Insulae Mariae (Quidzini)
incarceratis liberandis: non enim decet evangelicae doctrinae imita-
tores iniuriam cuipiam facere aut aliena occupare; de prospectato
matrimonio marchionis Gulielmi cum [Anna] ducissa virgine Masoviae.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T., IX, N. 161.

N. 45.

Cracoviae, 24.V.1527.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de Mauritio figulo, bannito cive Gedanensi.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. VIII, N. CVIII (ex Cod. Korn).

N. 46.

Cracoviae, 29.V.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci*

*de re monetaria: rex vehementer protestatur contra ducis petitionem, ut
Regiomontani habeant ius cudendi monetam, quod rex ne civitatibus
quidem suis permittit, priusquam aequa moneta sit constituta.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. 178.

N. 47.

Cracoviae, 3.VII.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci*

*permittit, ut Valentinus Herman, civis Elbingensis, in civitate Montis Regit
agat, sed ita, ut nequaquam civitates Elbingensem et Gedanensem
adeat.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

N. 48.

Cracoviae, 3.VII.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci*

*gratulatur pro nativitate filiae ducis, pro futuro masculum auguratur;
marchionem Gulielmum cum gaudio expectat.*

Vest. sigilli II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. IX, N. 217.

N. 49.

Cracoviae, 18.VII.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis officialibus Ducatus Masoviae
de modo exigendi novi telonei in eodem Ducatu.*

Sine sigillo.

H B A, B 1, K. 295.

Sigismundus, etc., universis ac singulis Capitaneis nostris eorumque
Vicesgerentibus in Ducatu nostro Mazovie ubique constitutis, ad quorum
manus he littere pervenerint, sincere et fidelibus dilectis, graciam regiam.

Sincere ac Fideles nostri dilecti.

Exposuit nobis Generosus Martinus Sypychowski, theloniator noster Posnaniensis et Calischiensis, quod multi vectores ex terris Russie et Magno Ducatu nostro Lithuaniae subterfugiendo thelonaea nostra nova, primum Sandomiriensia et deinde Calisiensia et Posnaniensia, istic per Ducatum Mazovie cum mercibus suis omnibus, item bobus et aliis versus Dzyaldowo et Choynicze proficiscentes in Novam Marchiam et Casubiam, ac deinde Stetinensem civitatem penetrant, vias antiquas versus Posnaniam declinantes et solutionem theloniorum novorum inde effugientes, in detrimentum et damnum theloniorum nostrorum predictorum.

Unde volentes indemnitati huiusmodi theloniorum nostrorum prospicere, idem Generosus Martinus Sypychowski de mandato nostro constituit istic notarios suos, qui vectores illos sistere eosque ad solutionem theloniorum nostrorum urgere debent.

Ideo committimus presentibus mandantes, quatinus posteaquam desuper requisiti fuerint, notarios eos in sistendis huiusmodi vectoribus et negotiatoribus thelonisque publicis iuxta constitutiones desuper sanctas,^{a)} quas istic notariis illis tradidimus, satisfacere possint. Ita omnino facturi pro fide sua et gracia nostra. Datum Cracovie, feria quinta ante festum Marie Magdalene, anno Nativitatis Domini 1527, Regni vero nostri anno vicesimo primo.

Ad mandatum proprium Sacre Regie Maiestatis.

Modus exigendi novi theloniei in Ducatu Mazoviensi:

Item a qualibet bove per 1 florenum
Item a qualibet vacca per 15 grossos
Item a qualibet equo venali per 15 grossos
Item a qualibet lapide cerae per 4 grossos
Item a qualibet cute bovina per 1½ grossos
Item a qualibet sexagenae cutium rutenicalium per 15 grossos
Item a qualibet lapide Czerwyecz per 15 grossos
Item a qualibet tunna mellis crudi per 6 grossos
Item a qualibet capetia cutium Latphalare 12 grossos

Camera in Colno et Wąsosz

Alia manu: b) Non c) Koenigliche Maiestet zubitte, das meines gnedigen Hern undertanen des Zols gefreiet und erlassen, dan sein Furstliche Gnade nicht verhoft daz es seiner Koenigliche Maiestet gemut seiner Furstlichen Gnaden undertanen in den zu beschweren.

a) *in ms. sanctitas.*

b)-c) *lectio incerta.*

N. 50.

Cracoviae, 3.IX.1527.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci

Georgium Wirzbowski (Vyrzbowski), subditum ducis, commendat.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

N. 51.

Cracoviae, 7.IX.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de damnis quibusdam Gedanensibus a civibus Montis Regii illatis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

N. 52.

Petricoviae, 18.XII.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de legato ducis Eckio a Repchaw a se libenter accepto et exaudito; man-
data nomine ducis sibi exposita se probare, sed executionem ipsorum
ob urgentia negotia aliquanto differre coactum esse.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. X, N. 13.

N. 53.

Petricoviae, 27.XII.1527.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de limitibus Samogitiae laesis; de profugis ex Samogitia restituendis.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

N. 54.

Vilnae, 13.IV.1528.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis querelae.
(Adest nonnisi versio germanica).*

H B A, B 1, K. 295.

N. 55.

Vilnae, 31.VII.1528.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 295.

Sigismundus etc. Illustri Principi Domino Alberto Marchioni Brandenburgensi ac in Prussia, Stetinensi, Pomeraniae, Cassubiarum, Sclavorum

etc. Duci et Burgrabio Norembergensi, Nepoti nostro Charissimo, salutem et incrementum tocius boni.

Auctione telonei Kukernesze subditi nostri ex terris Prussiae et ex hoc Ducatu Lituaniae se plurimum gravatos questi sunt, utpote quod veteri instituto derogare videatur et^{a)} in deducendis eorum mercibus impendia mirum in modum augeat. Atque ita assiduis eorum clamoribus et precibus moti, coacti fuimus tocies Vestrae Illustritati scribere pro depositione eius novi telonei. Et quamvis non dubium sit nobis Vestram Illustritatem in arcendo flumine a veteri alveo et in coadunandis aquis unoque meatu et alveo deducendis impendium non modicum fecisse, sed quo iure subditos nostros ad sarcienda dampna, in silvis Vestrae Illustritatis ob edificium Kukernesze facta, cogere iuste possemus, non videmus. Cum aduersetur eorum iuribus, quibus illi renunciare reluctantur. Quinmo efflagitant et summis precibus obsecrantur, ut Vestra Illustritas eo profectu, quo hactenus per longum satis tempus potita est pro impen-diis edificii Kukernesze, contenta esse velit. Quia vero Vestra Illustritas neque hactenus satisfactum fuisse sibi^{a)} scribit, et ideo sumptuum edificiique impensarum rationem habere postulat, quod ut facere honestius nobis liceat, detulimus ad Consiliarios nostros Prussiae, ut super visione loci Kukernesze, simul et de commodo subditorum nostrorum consultant. Dabimusque operam, ut aliqui ex illis simul cum istis hic, quos limitibus Samogitie deputavimus, ad conspiciendum locum ipsum descendant et de singulis nos informare possent.

De innovandis federibus et pactis antiquitus factis inter hec vicina dominia, simul et de tempore visendorum et renovandorum limitum, faciemus cerciorem Vestram Illustritatem per nuncium nostrum, quem iam missuri sumus ad eandem. Ne cives nostri Gedanenses prosequi ius suum ante tribunal Vestrae Illustritatis moram faciant, iubebimus. Cupimus tandem, ut Vestra Illustritas quam optime valeat et sit felix. Datum Vilne, ultima Iulii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo ocatvo, Regni vero nostri anno vigesimo secundo.

^{b)} Sigismundus Rex subscrispit.^{c)}

^{a)} in margine.

^{b)-c)} manu propria.

N. 56.

Vilnae, 7.III.1529.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Stanislao Michnowicz (in ms. Mychnowicz), subdito suo.

Sigill. IV maius.

H B A, B 1, K. 295.

N. 57.

Vilnae, 25.IV.1529.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ducem certiorem reddit de constituta commissione ad imponendum finem

querelis inter cives Gedanenses et Regiomontanos (*subscriptum: Ad mandatum Maiestatis Regiae proprium.* Ioannes Choiensky Archidiaconus Cracoviensis).

Vest. sigilli III.

H B A, B 1, K. 295.

N. 58.

Vilnae, 16.VII.1529.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

Ioannem Glaubicz, servitorem suum et subditum ducis, commendat.
(*subscriptum ab ipso rege m.p.*)

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 295.

Reg. apud Fischer, Briefe 9., p. 389.

N. 59.

Vilnae, 1.VIII.1529.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

gratias agit pro condolentiis ob regis aegritudinem missis et pro gaudio ex recuperata eiusdem incolumitate.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

Reg. apud Fischer, Briefe, 10., p. 389.

N. 60.

Vilnae, 7.IX.1529.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ducem ad vigilantiam hortatur et rogat, ut se de periculis utriusque imminentibus et in posterum commonefaciat; de civibus civitatum Prussiae Regalis monetam propriam cudere desiderantibus.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 295.

Reg. apud Fischer, Briefe, 11, p. 389.

Sigismundus, etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Reddite nobis Illustritatis Vestre [sunt littere].^{a)} Que ferme littere declararunt, quanta vigilancia cuncta rimatur et quam diligenter intenta

sit Illustritas Vestra rebus, que [et] ab externis dissidiis et ab intestinis sedicionibus et turbis ditioni nostrae eiusque detrimentum aliquod aut difficultatem adferre possent. De quibus quod nos commonefacere non negligit Illustritas Vestra, gratissimo amicicie officio nos sibi plurimum devincit. Quam rogamus, ut quod facit, facere non cesse nosque consiliis suis, que apud nos plurimi sunt, nusquam negligat. Nam tempora hec multo consilio et summa vigilancia curaque opus habent, resque et pericula pene omnia nobis cum Illustritate Vestra communia [sunt].

Quod autem civitates nostras in Prussia attinet, quarum hic Nunctii submisso apud nos agunt negotia quidem magis privata quam publica, preter monetae negotium, in quo hoc potissimum ipsorum desiderium videtur, ut liberum illis sit monetam cudere, quemadmodum autem illos absolverimus, incognitum non erit Illustratati Vestre. Quam optamus esse felicem et incolumem. Datum Vilnae, in vigilia Nativitatis Sanctissime Domine Nostre, anno Domini MDXXIX.

a) *hic foramen in charta.*

N. 61.

Vilnae, 2.X.1529.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut dux Iacobum Barnicki a sponsione sibi praestita absolvat.

(*subscriptum ab ipso rege m.p.*)

Sigill III.

H B A, B 1, K. 295.

Reg. apud Fischer, Briefe, 14., p. 390.

N. 62.

Cracoviae, 6.IX.1530.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Bogdano Wołowicz, equisone Grodnensi, ut ei subditi profugi restituantur.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XII, N. 273.

N. 63.

Petricoviae, 4.I.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*postulat, ut dux apud regem Daniae requiri faciat de detento Hafniae
oratore imperatoris [Caroli V], Stephano Kliniczic Carvath, ex Mo-
scovia redeunte.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 7.

N. 64.

Petricoviae, 8.I.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*suadet, ut accusationes novi magistri de Cronberg (in ms. Crenembergk)
et commendatoris Livoniae de avulis ab Imperio et Ordine Theutonico
terris Prussiae et de religione catholica deserta refellat.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

*Iam ed.: A.T. XIII, N. 17. Reg. apud P. Tschackert, II, N. 759. Versio
germanica in: W. Hubatsch, Europäische Briefe, p. 26.*

N. 65.

Cracoviae, 30.I.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*postulat, ut dux permittat custodes in taberna « Vyschroly » nuncupata
custodes ponere, ne mercatores telonea evitare possint.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 41.

N. 66.

Cracoviae, 3.II.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de negotiationibus ducis cum rege Daniae Friderico I; pro feris sibi
missis gratias agit, responso a duce regi Daniae misso assentitur.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 46.

N. 67.

Cracoviae, 18.II.1531.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de affectione sua ac regis-coniugis et regis-filii erga ducem; se ducis
aemulis fidem adhibere nullam nuntiat.

(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 62.

N. 68.

Cracoviae, 23.II.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de Gedanensium pertinacia in usu veteris marcae, quam rem decidendam
ad proximum conventum terrarum Prussiae reicit; aulicum suum Nico-
laum Nibschatz ad ducem mittit.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 66.

N. 69.

Cracoviae, 26.II.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro Nicolao Nibschatz.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 71.

N. 70.

Cracoviae, 15.IV.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

postulat, ut subdito suo, Iacobo Tynnie (Tymne?), civi Nowensi, debi-
tum exsolvatur.

Vest. sigilli II.

H B A, B 1, K. 295.

N. 71.

Cracoviae, 29.IV.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

rex audivit missum esse duci tabellarium imperatoris cum penali mandato et citatione, ut Valtero a Cronberg, Ordinis Theutonici magistro, provinciam Prussiae sub poena imperialis banni restituat; ducem commonefacit, ne sub poena amissionis feudi alicui alienae iurisdictioni Ducatum Prussiae cedat.

(*m.p. regis subscriptum*)

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 132. Antea Dogiel IV, CXCVI.

N. 72.

Cracoviae, 10.V.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ipso postulante, mandatum penale iuridicum mittit, ne quid in parendo extraneae iurisdictioni faciat.

(*Cuius mandati adest versio germanica*)

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 144.

N. 73.

Cracoviae, 20.V.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ducem admonet, ut detentas naves et merces civium Gedanensium restituat, sicut officium subditi principis exigit.

Sigill. I.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 168.

N. 74.

Cracoviae, 27.V.1531.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de nativitate filiae duci congratulatur.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 170.

N. 75.

Cracoviae, 27.V.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de penali mandato iam misso ante litterarum ducis receptionem.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 169.

N. 76.

Cracoviae, 29.V.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Paulo Kryski (in ms. Crisski), ut illi iustitia administretur.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 176.

N. 77.

Cracoviae, 12.VI.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Gregorio Obornicki in causa eius ex occasione quorundam lacuum in
bonis Mielno in Ducatu Prussiae.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 192.

N. 78.

Cracoviae, 25.VIII.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Petro de Dohna (in ms. a Don) postulante, futurum eius generum, Acha-
tium Czema, duci commendat.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 292.

N. 79.

Cracoviae, 28.VIII.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de victoria a Ioanne Tarnowski [ad Obertyn] reportata; de Valacho profugato.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 295.

N. 80.

Cracoviae, 30.VIII.1531.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

regem cuidam civi Regiomontano silvam in Lithuania arendare non posse nuntiat.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 301.

N. 81.

Cracoviae, 14.IX.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

se librum apologiarum ducis nondum ad legendum docto viro dare potuisse; de finibus recensendis.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 322.

N. 82.

Cracoviae, 19.IX.1531.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de conventu ad rem monetariam tractandam non in Grudziadz (Graudenicz), peste ibidem saeviente, sed Mariemburgi celebrando.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 295.

Iam ed.: A.T. XIII, N. 328.

N. 83.

Cracoviae, 22.IX.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de damnis a capitaneo in Kłajpeda (Memel) bonis regiis illatis.
(Adest solummodo versio germanica)
H B A, B 1, K. 295.*

N. 84.

Cracoviae, 11.X.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit maximas pro affectu ducis erga se tempore aegritudinis de-
monstrato; consiliariis Magni Ducatus Lithuaniae se scripsisse nun-
tiat, ut ad fines revidendos cum consiliariis ducis convenient.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 295.
Iam ed.: A.T. XIII, N. 350.*

N. 85.

Cracoviae, 9.XII.1531.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de revisione limitum pro festo Trium Regum transigenda; de moliminiibus
regis Daniae Christiani II; gaudet ducem civitati Montis Regii appro-
pinquasse.
Vest. sigill. II.
H B A, B 1, K. 295.
Iam ed.: A.T. XIII, N. 400.*

N. 86.

Cracoviae, 18.I.1532.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro vidua Quirini Schlik, consiliarii ducis.
Vest. sigill. II.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 87.

Cracoviae, 29.I.1532.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
nuntios ducis se audivisse scribit negotiaque illis commissa regi com-
mendasse.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 88.

Cracoviae, 29.I.1532.

*Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
legatos ducis se excepisse et in eis, quae postularunt, apud regem patrem
intercessisse.
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus Secundus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, totiusque Prussiae, Masoviae etc. Dominus et Heres, Illustrissimo Principi Domino Alberto, etc. Consanguineo nostro Charissimo, salutem et omne bonum.

Illustrissime Princeps, Domine, Consanguinee noster Charissime. Legatos Illustritatis Vestrae pergrato excepimus et audivimus animo nonnulla nobis Vestrae Illustritatis nomine coram referentes, quibus plenam accommodavimus fidem atque in iis, quae a nobis postularunt, apud Serenissimum Regem, Dominum et Parentem nostrum colendissimum, non gravatim operam et intercessionem nostram interposuimus. Idem semper facturi, quoties opus fuerit. Commisimus autem eidem Legatis, ut nostro nomine Illustritatem Vestram vicissim diligenter inviserent ac salutarent et que de mente nostra procedunt, verbis exponerent eidem Illustritati Vestrae. Quam et foelicem diutissime valere cupimus ex animo et sanam incolumemque semper. Datum Cracoviae, die XXIX Ianuarii MDXXXII.

^{a)} Sigismundus Secundus
Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 89.

Cracoviae, 30.I.1532.

*Hedvigis [Sigismundi I filia]
Alberto in Prussia duci
litterae curiales.*

(*Subscriptio manu secretarii: Dedit Hedvigis Dux etc. et Regia Polonia[e] Nata*)

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 90.

Cracoviae, 30.I.1532.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de exactionibus vectigalium.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus, etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos Charissime.

Intelleximus probe ex litteris Vestre Illustritatis, quid mercatores Montis Regii de Prefecto et civibus Covnenibus, et simul de quibusdam vectigalium in Masovia Prefectis, ob novas institutas exacciones et insuetas vectigalium prestaciones querantur. Nos non possumus hic illa, si que a Cownensis admittuntur, emendare, nisi cum ipsi in Magno Ducatu Lituaniae constituemur, sed cum primum nos illuc transferremus et de negotio, ut habet, edocti fuerimus, id tandem faciemus, quod equum et iustum esse putabimus. Quod vero ad negotium Masoviticum attinet, mandabimus omnibus Officialibus illic nostris, ne quid novi et insueti vectigalis in subditos Vestre Illustritatis imponere in posterum audeant. Bene valeat Illustritas Vestra et sit semper cum suis omnibus incolumis et felix. Datum Cracoviae, die penultimo Ianuarii, anno Domini MDXXXII, Regni nostri XXVI^o.

^{a)} Commissio propria Regie Maiestatis ^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 91.

Cracoviae, 6.II.1532.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Petro de Dohna [in ms. Donen], capitaneo in Morag [Morangk], subdito ducis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

Iam ed.: A.T. XIV, N. 61.

N. 92.

Cracoviae, 9.III.1532.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*subditi ducis palatinatus Vitebsensis limitanei iustitiam iure Lithuaniae
administratam acceptare recusant; conqueritur Ioannes Chlebowicz
(Hlebowicz), palatinus Vitebsensis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

Iam ed.: A.T. XIV, N. 122.

N. 93.

Cracoviae, 4.VII.1532.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de Stanislao Skoda, falsae monetae excusore, eiusque complicibus.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illistris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

*Accepimus litteras Vestre Illustritatis, quibus declarat se aliquos homines
cum falsa moneta in dictione sua comprehendisse, et alterum eorum
examinari fecisse, cuius confessionem ad nos transmisit. Nos commendamus
studium et diligenciam Vestre Illustritatis, quam fecit in perquirendi
authoribus et excusoribus eius false monete, que ad eius dominium
est inventa. Committemusque Officialibus et Capitaneis nostris, ut diligenter
inquirant de ea ipsa moneta et eius excusoribus, quo pena debita plecti
possint.*

*Quod vero attinet ad complices et socios Stanislai Skoda, qui nocens
et reus false monete est ex sua confessione repertus, cum ipse solus illos
excusat et fatetur vacuos esse et immunes ab eo crimine, non videtur nobis
aequum esse, ut detineri aut penam aliquam sustinere debeant. Bene va-
leat Vestra Illustritas. Datum Cracoviae, die quarta Iulii, anno Domini
MDXXXII, Regni vero nostri anno XXVI^{to}.*

^{a)} Commissio propria Regie Maiestatis.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 94.

Cracoviae, 5.VIII.1532.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*respondet duci, qui causam Casparis Cober, civis Elbingensis, commen-
davit.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

Iam ed.: A.T. XIV, N. 375.

Cracoviae, 17.IX.1532.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis in terris Prussiae Regalis et Masoviae officialibus
de teloneis.*

(Exemplar)

H B A, B 1, K. 296.

Universis et singulis Palatinis, Castellanis, Dignitariis, Officialibus, Capitanis, Nobilibus, Burgraviis, civitatum et opidorum Proconsulibus, Consulibus et aliis subditis nostris in terris nostris Prusie et Masovie constitutis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Sincere et Fideles dilecti.

Manifestum vobis facimus per presentes, quod ita edocti sumus, quod boves, cere, cutes aliaeque merces et res, a quibus thelonium novum, cum per terras Maioris Polonie educebantur, solvebant nostri in fraudem thelonii illius Poznaniensis per terras Mazovie in terras Prusie evehebantur. Denique ex nostris terris Prusie extra Regnum nostrum, sine thelonii novi solucione educentur in non mediocre damnum nostrum. Quibus fraudibus nostris obviando, instituimus Cameras in finibus Mazovie et Prusie, vide-licet in opidis Mlawa, Scherpcz, Cyechanow, Przassnis et Colno, exigendi thelonii novi a talibus mercibus et rebus, a quibus, ut prefertur, thelonium hoc ipsum novum in terris Maioris Polonie prius solvebant.

Ad quod thelonium novum in Cameris per nos institutis exigendum Generosum Christophorum Czermynski notarium nostrum^{a)} designavimus et per presentes designamus idque negotii sibi commisimus. Proinde vobis mandamus, ut prefatum Christophorum Czermynszky, notarium nostrum, eiusque notarios per eum in prefatis Cameris instituendos ad exigendum et percipiendum ipsum thelonium novum a rebus supra dictis, que, ut perfertur, de Regno nostro sine thelonii novi solucione isthac per terram evehuntur, admittetis^{b)} neque aliquo modo prohibeatis, sub gravi indignacione nostra. Quin imo et auxilia vestra oportuna, quando et quociescumque requisierit, vel notarii ipsius requisierint, eis prebeat, et aliter gratia nostra non facturi. Datum Cracovie, feria tercia pro^{b)} festo Sancti Mathei Apostoli currente proximo, anno Domini millesimo quingentesimo secundo, anno Regni nostri XXVII.

Ad mandatum Sacre Maiestatis Regie proprium.

Thelonium novum noviter institutum ex universal i Sacre Regie Maiestatis:

- A quolibet bove triginta grossos
- A quilibet vacca quindecim grossos
- A quilibet equa similiter quindecim grossos
- A quilibet equo in stadio currente quindecim grossos
- A quilibet lapide cere quatuor grossos
- A quilibet lapide czerwiec quindecim grossos
- A quilibet cutte bovina medium alterum grossum
- A quilibet techa cymczu, alias cutium Rutenicarum, IX grossos
- A centum Smoschen, hoc est cucium agnellorum, duodecim grossos.

a) in ms. annorum nostrorum.

z) sic in ms.

b) sic in ms., probabiliter: in profesto.

N. 96.

Cracoviae, 21.IX.1532.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
matrimonio Annae ducis Masoviae cum filio principis Munsterbergensis
se assentiri nuntiat.
Sigill. I.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 97.

Petricoviae, 18.I.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Sigismundo Cotfficz, subdito et regis et ducis, cui dux bona abstulit.
Vest. sigill. II.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 98.

Cracoviae, 24.II.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae commendatitiae pro Nicolao Działyński, qui in Livoniam in ne-
gotiis Gulielmi, ducis fratris, a rege missus, in itinere ducem visitare
debet.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 99.

Cracoviae, 26.II.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro fratribus Locke, qui bona sua in ditione ducis pro bonis in Regno Po-
loniae existentibus permutare volunt.
Vest. sigill. II.
H B A, B 1, K. 296.*

Cracoviae, 5.III.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis subditis suis in terra Culmensi existentibus;
contra eos, qui ab Ecclesia catholica deficiunt novisque sectis adhaerent.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus etc.

Universis et singulis cuiuscunque dignitatis et conditionis in terra nostra Culmensi existentibus, tam nobilibus, quam etiam civitatum, oppidorum et villarum indigenis, favorem et gratiam nostram regiam.

Magnifici, Generosi, Nobiles, Famati et Providi, sincere et Fideles dilecti.

Quamvis iam pridem omnibus non sit incognitum, que mandata et quam seria emiserimus contra eos, qui nove secte ab Ecclesia damnate adherent et sancte universali et Catholice Ecclesie Sanctorumque Patrum constitutionibus reluctantur. Inveniri tamen adhuc feruntur non pauci, qui mandata hec nostra transgrediantur, perversam hanc heresim sequantur.^{a)} Et sacramentis Ecclesie per tot seculorum curricula pie et integre observatis paucum aut nihil tribuunt, ecclesiasticasque ceremonias et ritus festosque dies et eos, quibus a carnis abstinendum esse sancte statutum est, penitus contemnunt, et qui apostatas votorumque et religionum desertores publice apud se fovent, alunt et tuentur. Quam impietatem et prevaricationem, quam in Regno et dominiis nostris nusquam ferre velimus, multo minus in terra nostra Culmensi tollerare possumus.

Quapropter priora in his mandata nostra confirmantes, vobis omnibus et singulis mandamus et sub prioribus penis districte precipimus, ut omnia in eisdem mandatis nostris prius datis contenta firmiter observetis. Et quod nullos libros, quibus heresis hec pollet, apud vos habere, legere aut legi audire nullumque apostatam et religionis sue desertorem, aut quempiam huius damnate secte professorem, ad vos admittere et apud vos fovere audeatis. Sed si quis talis repertus fuerit, ad loci ordinarium Episcopum aut eius officialem deferatur. Et ita omnia teneatis, credatis et observetis, quemadmodum sancta Ecclesia catholica cum patribus et predecessoribus nostris longissimo tempore tenuit, credidit et observavit. Certum habituri, quod si quis prioribus et huic novissimo nostro mandato adversari cognoscatur, nos ad penam prius promulgatam irremissibiliter contra illum processuros. Et igitur aliter facere non ausuri sub pena predicta et gravissima indignatione nostra. Datum Cracovie, feria quarta ante dominicam Reminiscere, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tercio, Regni vero nostri XXVII.

Ad mandatum Regie Maiestatis proprium.

a) in ms. sequatur.

Cracoviae, 8.III.1533.

*Sigismundus I rex Polonie
toti communitati oppidi Graudnicensis
contra Lutheranos.*

(*Exemplar*)

H B A. B 1, K. 296.

Iam ed.: Woelky, N. 887 *), Tschackert II, N. 888. Reg. in A.T. XV, N. 126.

Sigismundus etc.

Famatis Proconsuli, Consulibus et toti communitati oppidi nostri Graudnicensis gratia nostra merita.

Questus est nobis per litteras suas Reverendus in Christo Pater, Dominus Episcopus Culmensis¹⁾ et Administrator Pomesaniensis, Consiliarius noster sincere dilectus, quibus modis, quum aberat, contra voluntatem officialis eius, quendam Andream heresim Lutheranam publice apud vos conciocinantem fovistis et tenuistis. Et illum Ecclesiae apud vos bonis ritibus in canendis matutinis missis, exequiis et aliis solennibus ceremoniis derogare atque ipsam parochiale domum et scholam diripi et destrui. Et tandem ipsum ad ducendam uxorem vestro adminiculo impune abire permisisti. Et quod inter vos plurimi sint hac labe infecti contra seria mandata nostra, que in his per Regnum et omnia nostra dominia dedimus. Quum autem ipse Dominus Episcopus pro vobis intercesserit, ne in crimen divine et nostre lese Maiestatis contra vos animadvertisamus, volens vos^{a)} pro pastorali suo benigno officio Ecclesie reconciliari, precibus eius non gravate annuimus. Unde si, quemadmodum et Capitaneo vestro scripsimus, ad gratiam nostram configeritis, in eam, modo resipiscatis, ad ipsius Domini Episcopi intercessionem nos clementer hac tamen lege recipiemus, ne deinceps maiori mulcta puniendi in priorem errorem reincidatis. Et quo ipse Dominus Episcopus Culmensis Ecclesiam sic apud vos collapsam rursus erigat, consensimus illi et tenore presentium concedimus, quod vigore iuris patronatus pro hac vice vobis parrochum seu plebanum commodum statuere possit, qui munia Ecclesie antiquitus observata et ea, que Ecclesiam et animarum vestrarum salutem spectant, administret. Quapropter vobis mandamus omnino habere volentes, ut quicquid apud vos est proventuum, quos plebano et altaris Ecclesie ex pretorio et fraternitatibus pro censu annuo et pro ceteris et pro aliis Ecclesiam concernentibus dare quolibet anno consuevistis (de retentis facta Domino Episcopo ratione), illos rursus plebano et Ecclesie vicariis et ministris, ut prius fuerunt in usu, pendatis et ex integro persolvatis, sub gravi indignatione nostra secus facere non ausuri. Datum Cracovie, sabato proximo ante dominicam Reminiscere, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio, Regni nostri anno XXVII^o.

Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

In dorso manu Sperati: Mandata regia contra Lutheranos 1533.

a) in ms. nos.

*) ex alio exemplari cum omissionibus.

1) Ioannes Dantiscus.

N. 102.

Cracoviae, 20.IV.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Andrea Moskiewicz, ut profugi ei restituantur.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

N. 103.

Cracoviae, 20.IV.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ne dux iterum in iura feudalis domini sui interveniat. "Fit enim contra dignitatem nostram, quod Illustritas Vestra nepotem se nostrum sciens et feudali iure nobis obligatum confitens, plus tribuit sensui et affectionibus suis, quam iudicio et sentencie nostre, avunculi et Domini superioris sui..."
(m.p. regis subscriptum)*

In dorso: Illustri Principi etc. Der König will die Appellation nit gestatten.

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica).

H B A, B 1, K. 296.

Iam ed.: A.T. XV, N. 216.

Reg. apud Fischer, Briefe, 20., 392.

N. 104.

Cracoviae, 22.IV.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
deputat commissarios ad negotium limitum inter provinciam Masoviae et terras ducis, atque ad negotium arcium in terra Culmensi.
Vest. sigilli.
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Declaravit nobis Reverendus in Christo Pater, Dominus Petrus¹⁾ Episcopus Cracoviensis et Regni nostri Vicecancellarius, omnia, que de negotio limitum inter Ducatum Masoviae et diciones^{a)} suas, et item inter provinciam Culmensem et certas arces Ducatus sui Illustritas Vestra ad illum scripsit. Declaravit etiam postulationem Illustritatis Vestre de communitandis Commissariis tam ad limites predictos, quam ad iniuriam a Ioanne

Gunowski, subdito nostro, ut fertur, Iacobo Barthniczki, subdito Illustritatis Vestre, illatam cognoscendam, iam ante datis. In quibus quidquid nobis visum est, ex literis ipsius Domini Episcopi predicti Illustritas Vestra cognoscet. Nam quibusdam adiunctis personis eos, quos volebat Illustritas Vestra, Commissarios deputavimus.

Ceterum, quod negotium limitum inter Magnum Ducatum Lituanie et Illustritatis Vestre provinciam faciendorum attinet, cum hactenus nichil sit per Consiliarios illius Ducatus nostri ea in re constitutum, nos cum illuc, cum Dei gratia, veniemus, curabimus cum illis ipsis Consiliariis nostris, ut res hec dudum inchoata certo et celeri fine terminetur. Nos autem illuc ituri brevi hinc, Deo bene volente, discedemus. De Doctore Venceslao Czerka intercessioni Illustritatis Vestre satisfacere non potuimus, cum prius quam litere Illustritatis Vestre ad nos pervenissent, alteri iam de eo Episcopatu, qui nuper vacavit, providerimus. Bene valeat Illustritas Vestra et sit semper felix. Datum Cracovie, XXII Aprilis, anno Domini MDXXXIII, Regni nostri XXVII.

b) Commissio propria Regie Maiestatis.^{c)}

a) *in ms. viciones.*

b)-c) *alia manu.*

1) *Tomicki.*

N. 105.

Cracoviae, 8.V.1533.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum postulat, ut dux Paulo Kryski iustitiam faciat.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 296.

N. 106.

Vilnae, 9.VIII.1533.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
accusationes civium Pruthenicorum contra civem quendam Polonum refutat ipsosque severe accusat.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 296.

Bona, Dei gracia Regina Poloniae, Magna Dux Litvaniae, Russiae totiusque Prussiae, Masoviae etc. Domina, Illustrissimo Principi Domino Alberto, eadem gracia Marchioni etc. Affini nostro Charissimo, salutem et omne bonum.

Illustrissime Princeps, Affinis Charissime.

Proposuit coram nobis Illustritatis Vestrae nomine Generosus Nicolaus Nipczicz contra Generosum Stanislaum Stephanowicz, factorem nostrum in Jurbark, quomodo villam Cocice, quasi in sequestro positam, ad decisionem litis eius occasione obortae, tum per se ipsum, tum etiam per servidores suos nonnunquam ingressus, proventus sequestratos accepit atque incolas ipsius villae et alios quosdam subditos Illustritatis Vestrae iniuriis affecerit ac requisitus iusticiam facere noluerit. Accersiri fecimus ipsum factorem nostrum eo animo, ut si quid in Illustritatem Vestram deliqueret, severe in eum animadverteremus tanquam mandati nostri transgressorem. At ille in praesentia Nicolai Nipczicz respondit, semel duntaxat illic fuisse idque tum, quando illi possessio fuit assignata, sed et eo tempore nihil prorsus illinc accepisse; post nunquam amplius nec se nec quempiam servitorem suum illic fuisse, nec unquam vel minimam rem perceperisse, neque ipsius villae sequestratae incolis aut aliis subditis Illustritatis Vestrae ullam iniuriam fecisse, paratus omnes penas subire, si contrarium in eum probatum fuerit.

Imo subditos Illustritatis Vestrae dixit sepius limites antiquos transcedere, sylvas nostras Jurbarenses, agros, prata et id genus bona nostra indigne vendicare, feras interficere, expellere limitesque novos arbitrio eorum, tum arboribus incisis, tum etiam aliis signis signare, subditos nostros variis iniuriis et damnis afficere, non sine incommodo nostro, petens, ut id provideremus. Quare cupimus, ne Illustritas Vestra incolis ipsis sequestratis atque subditis suis indigne querentibus tantum fidei praebeat, donec prius ab aliquo suo fideli vere edocta fuerit. Arbitramur enim factorem nostrum minus iuste accusatum esse. Subditos autem suos coherceri iubeat, ne limites transcendent, bona nostra occupent et subditis nostris iniuriam inferant. Quod facturam Illustritatem Vestram credimus, cum aequitatis, tum bonae vicinitatis causa. Reliqua ex litteris Nicolai Nipczicz intellecturam putamus Illustritatem Vestram. Quam diu et optime valere percupimus. Datum Vilnae, IX Augusti 1533.

^{a)} Bona Regina subscrisit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

N. 107.

Vilnae, 28.VIII.1533.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de eadem re.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 296.

Bona etc.

Illustrissime Princeps et Domine, Affinis noster Charissime.

Binas hoc tempore habuimus Illustritatis Vestrae litteras. Alteris scribit se grato exceperisse animo significationem nostram per Generosum Nicolaum Nipschicz nos Illustritati Vestrae affectas esse rebusque eius pro equitate et ornamento velle adesse. Fatemur nos huius animi esse

semper, ut iustis votis Illustritatis Vestrae annuamus illiusque negotia promoteamus, ut a nobis nonnisi propensam erga se voluntatem expectare valeat. Alteris litteris queritur Illustritas Vestra Stanislaum, factorem nostrum in Jurbargk, falso coram nobis dixisse, quod villam Cocice, ad decisionem litis in sequestro positam, nunquam ingressus sit nullosque proventus perceperit, nihil etiamnum damni aliis subditis Illustritatis Vestrae confinibus intulerit, quum habeat Illustritas Vestra eius litteras, quibus testatur se id quidem fecisse, sed mandato nostro. Nos equidem nihil horum unquam illi mandavimus, ut aut villam sequestratam attingeret, aut subditis Illustritatis Vestrae vel minimam iniuriam inferret, vel quippiam adversi in Illustritatis Vestrae bona et subditos moliretur, nam ut iniuriam non libenter ferimus, ita illam nulli unquam inferre vel quoquomodo ad inferendam connivere solemus. Quod Illustritas Vestra de nobis sibi polliceri potest, si hactenus aliarum rerum argumentis non cognitum habet.

Proinde cupimus plurimum, remittat nobis Illustritas Vestra ipsas eius litteras. Agemus cum homine, ut res expostulare videbitur. Rediturus est enim ad nos hinc post lapsas sex hebdomadas.

Quod attinet limites inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae, revocavimus id demum ad memoriam Sacrae Maiestatis Regiae, Domini et coniugis nostri colendissimi. Curabit id Maiestas Sua ad effectum deducere, quod praecipue in votis habet. Interim mandato Illustritatis Vestrae opus est, ne factores et subditi Illustritatis Vestrae in bona nostra magis ac magis irrumpant eaque sibi vendicent, neve quicquam indignum contra subditos et bona nostra attentent. Quod Illustritatem Vestram pro sua virtute et equitate ac bona vicinitate curaturam certo nobis persuademos. Quam una cum Illustrissima Duce, coniuge sua, diu sanam semper foelicem valere percupimus. Datum Vilnae, die XXVIII Augusti MDXXXIII.

a) Bona Regina subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 108.

Vilnae, 4.X.1538.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ad querelas subditorum ducis de novis teloneis respondet.

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illistris Princeps, Nepos noster Charissime.

Quod nobis significandum duxit litteris suis Illustritas Vestra asserere subditos suos instituta esse in Samagithia a telonariis nostris nova quedam et inconsueta telonea, in preiudicium eorum et contra pacta atque consuetudinem, non sineremus id fieri impune, quod et legibus hic publice atque severe sub certa animadversione, ne scilicet huiusmodi inconsueta telonea quisquam instituere presumat, prohibitum est. At certum habere

velit Illustritas Vestra nullum teloneum novum illic esse institutum, preter vetus et consuetum, quod in oppido nostro Cawno antiquitus pendi solitum est.

Quoniam vero naute quidam vectitantes salem fluvio Nyemen sursim ceperant declinare in partem fluvio Dubissa, et illinc ascendere aridam, non attingendo Cawnam, quo se a pensione telonei illius consueti et antiqui Cawnensis subducerent, propterea igitur in ostiis fluvii illius Dubissa locata est custodia, per quam non liceat, nisi ut vel recta Cawnam ad locum telonei consuetum navigetur, vel, si cui opportunitas divertendum illinc suaserit, respondeatur per eum ibi pro teloneo Cawnensi, quemadmodum Cawne respondendum esset. Id quod citra cuiusquam preiudicium et gravamen, sed iuste et equae fieri, Vestre quoque Illustratis iudicio censeri non hesitamus. Quam et bene valere cupimus. Datum Vilne, sabbato in festo Sancti Francisci, anno Domini MDXXXIII.

Ad mandatum Sacre Regie atque Ducalis Maiestatis proprium.

N. 109.

Vilnae, 18.X.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Syemian Odzinczovicz, ut ei profugi restituantur.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 110.

Vilnae, 20.XI.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Nicolaum Połubieński, adolescentem Ruthenum, qui in famulitium ducis
adscribi cupit, commendat.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 111.

Vilnae, 21.XI.1533.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro carpionibus et falconibus a duce missis gratias agit.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de consiliis et opera ducis pro liberis regis gratias agit.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Gratum est nobis Illustritatis Vestrae studium, quo ad commodandum ex dignitate rebus nostris ducitur. Grata et sollicitudo, qua Illustritas Vestra non minori diligentia nostra quam propria curare videtur, sed omnium gratissimus amor, quo nos Illustritas Vestra siincere^{z)} prosequens, charissimis liberis nostris consultum iri non optat solum, verum in hoc operam suam impendit, consilium subministrat, formulam expedit, ad quam cepti a se reliquum prosequatur et ad optatum effectum perducat. Que cum sint nobis multis nominibus acceptissima, habemus Illustritatis Vestrae ingentem gratiam, quod in iis, que inter precipuas curas facile primum locum in cordis nostri intimis obtinent, se sui similem prestat et nil pretermittit, quod ad boni Principis et charissimi nepotis officium pertinere censem, quod nos quoque gratitudine nostra regia per occasionem erga Illustritatem Vestram referre non intermitteremus.

Verum quemadmodum deinceps se in tractando hoc negotio gerere debeat Illustritas Vestra, consultum non videtur, ut praescribamus, quandoquidem tempus subministrare potest occasiones, quibus consilium prudenter Illustritatis Vestrae melius accommodare sciit, quam nos prescribere possemus. Latere etiam possunt nos plurima, quo consilium nostrum vel impedirent incognita, vel adiuvarent explorata. Proinde censemus satius esse, ut Vestra Illustritas suo ex ingenio hac in re id agat procuratque, quod cum honore et dignitate nostra quodque Domui nostrae perpetuam consolationem allaturum sit. Nos enim in Deo Optimo Maximo (qui in se sperantibus non deerit et preter quem nil valent humana consilia) spem nostram reposuimus. Nipczicz, aulicus noster, quod putamus iam accepisse Vestram Illustritatem, convaluit. Cuius ministerio uti poterit Illustritas Vestra in transmittendis ad nos iis, que nobis tectius communicanda putaverit. Quam optime valere optamus. Datum Vilnae, tercia Ianuarii, anno Domini MDXXX4, Regni nostri anno XXVII.

^{a)}Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Baryn (in ms. Bariin), cive Elbingensi.*

Sigill. III.

(Adest etiam "Relatio Burggravii" germanice scripta)

H B A, B 1, K. 296.

N. 114.

Vilnae, 14.I.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de servitiis quibusdam sibi redditis gratias agit.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Intelleximus affatim ea, que nobis novissime Illustritas Vestra insinuanda curavit, que utcunque ferenda sunt per se et quocunque vergunt, gratum tamen nobis est et alacri accipimus animo ea erga nos et statum dominiorum nostrorum Illustritatem Vestram esse animi propensione et observantia, quod non conniveat in eiusmodi rebus, quas conditionem dominiorum nostrorum concernere perspicit, et reddit nos in hiis certiores, de quibus tandem vive vocis ministerio, cum litteris talia committi non omnino sit securum, disseremus mutuo uberius. Nunc id duntaxat, ut agamus gratias copiosas Illustritati Vestre, quam et optime valere cupimus. Datum Vilne, feria quarta post octavas Epiphanie Domini proxima, anno eius MDXXXIIII.

*Ad mandatum Sacre Regie atque Ducalis Maiestatis
proprium.*

N. 115.

Vilnae, 31.I.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
petit, ut aquaeductus e ditione ducis usque ad molendina Marienburgensia
conducere possit.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 116.

Vilnae, 20.III.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
duce ita postulante, se ad imperatorem et ad Germaniae principes, civitates et ordines scripsisse, quas epistolas nunc duci transmittere; de Comitiis a duce indicendis tempestive certiore fieri velle, ut legatum illuc suum mittere possit.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

*Iam ed.: A.T. XVI, N. 205. Antea Dogiel IV, CCIV: CCVIII. Pro annexis
v. A.T. et Dogiel.*

N. 117.

Vilnae, 28.III.1534.

*Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
se nuntium ducis, Georgium a Cunheim, capitaneum in Tapiaw, audivisse
eiisque negotia regi patri commendasse significat.
(m.p. regis subscriptum: Sigismundus Secundus Rex subscrispsit)
Sigill. V.*

H B A, B 1, K. 296.

N. 118.

Vilnae, 28.III.1534.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de nuntio ducis, Georgio a Cunheim, capitaneo in Tapiaw, a se libenter
excepto et regi consorti commendato (cfr. N. praec.)
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.*

H B A, B 1, K. 296.

N. 119.

Vilnae, 8.IV.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Chlebowicz (in ms. Glebowicz), palatino Polocensi, cuius
subditi a praesidibus territoriorum finitimarum Pruthenorum varii
gravaminibus premuntur.
Sigill. IV.*

H B A, B 1, K. 296.

N. 120.

Vilnae, 11.IV.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
rescripta imperatoris Caroli V et principum Germaniae ad epistolas suas
duci aperire permittit; de comitiis a duce indicendis certior fieri vult.
Vest. sigill. III.
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus, etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Reddite sunt nobis litterae Illustritatis Vestrae, quibus a nobis Illustritas
Vestra petit, ut sibi Romanorum ^{a)} Caesareae et Regiae Maiestatis

et omnium Ordinum Germaniae, ad quos scripsimus, rescripta liceat aperire et legere. Id nos non gravatim fieri permittimus. Quod ad Comitia subditis Illustritatis Vestrae indicenda attinet, facile stamus iudicio Illustritatis Vestrae, ut quam perspicere non dubitamus, quid sibi suisque conducibile sit. Nos tamen nihilominus, quae secreto significanda Illustritati Vestrae duximus, simul ad quae Nunciis eiusdem Illustritatis Vestrae nihil respondimus, per Nuncium nostrum, quem istuc, sive fuerint constituta Comitia, sive non, missuri sumus, indicare et explanare decrevimus. Quapropter cupimus, ut nos Illustritas Vestra ante tempus certiores reddat, num qua indictura est Comitia. Optamus Illustritatem Vestram foelicem esse. Vilnae, XI Aprilis, anno Domini MDXXXIIII, Regni nostri anno XXVIII.

Ad mandatum proprium Regiae Maiestatis.

a) in ms. Romanarum.

N. 121.

Vilnae, 22.IV.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Gorczyca (in ms. Gorczicza), cive Caunensi, cuius 300 asseres
in teloneo retenti sunt.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 122.

Vilnae, 26.IV.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Nicolao Nibschitz.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 123.

Vilnae, 27.IV.1534.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
per Nicolaum Nibschitz ducem salutat.
(m.p. reginae subscriptum)*

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 296.

N. 124.

Vilnae, 13.VI.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Georgio Drab, mimo, ut ei debita pecunia reddatur.
Sigill. III.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 125.

Vilnae, 11.VIII.1534

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Prażmowski, in Monte Regio percusso et vulnerato.
Vest. sigilli.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 126.

Caunae, 19.VIII.1534

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
Venceslaum a Paulides commendat, ut in numerum servitorum ducis
asciscatur.
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 296.*

N. 127.

Vilnae, 13.IX.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis et singulis officialibus terrarum Prussiae
ut militem conscribere in civitatibus suis duci in Prussia permittant.
Sigill. III.
H B A, B 1, K. 296.*

*Sigismundus etc.
Universis et singulis, signanter autem Proconsulibus, Consulibus aliisque Officialibus civitatum nostrarum in terris Prussiae consistentibus manifestum esse volumus, quia nos, imminentia pericula previdentes, et ne quae mala subditos nostros tam in Ducatu Prussiae apud Illustrem Principem Dominum Ducem Prussiae, nepotem et feudatarium nostrum*

charissimum, quam alias in ditionibus nostris, incautos insperatosque obruant, scientes preterea atque previdentes, quantum periculum seditiones et intestina bella, apud vicinos populos exorta, terris et dominiis nostris adferre possent, nisi in tempore fuerit occursum, quibus rationibus prefatus Illustris Dominus Dux Prussiae motus, volensque sibi suisque de securitate providere, induxit in animum militem mercenarium ad tutanda sua conscribere. Quia vero talium hominum in Ducatu suo copiam habere non posset, velletque in civitatibus istic nostris militares fortesque viros conquirere, quod ut ei auctoritate nostra interveniente facere liceat, postulavit. Proinde mandamus vobis, ita omnino habere volentes, quatinus prefato Domino Duci, aut eius Illustritatis familis cum literis ipsius ad hoc missis, delectum facere et gentes conscribere in civitatibus vestris permittatis et permitti faciatis, pro gratia nostra secus facere non ausuri. Datum Vilnae, XIII Septembris, anno Domini MDXXXIII, Regni vero nostri anno XXVIII.

Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Malestatis.

N. 128.

Vilnae, 14.IX.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Nicolaum Nibschatz iterum mittit et commendat.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 129.

Vilnae, 26.IX.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Ioanni regi Hungariae
pro Hieronymo Laski in vincula coniecto intercedit, ut e carcere liberetur.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 296.
Iam ed.: A.T. XVI, 493.*

N. 130.

Vilnae, 20.X.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Hieronymo Laski liberando.
Sigill. III.
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Accepimus, quid postularit ab Illustritate Vestra Venerabilis Ioannes Laski, Praepositus Gnesnensis, simul et alii amici et necessarii Magnifici

Hieronymi a Lasko, de liberando eo vindicandoque vel precario vel maiore aliqua vi, quorum in utroque opem et auxilium Illustritatis Vestrae implorarunt, deinde quid ad haec postulata Illustritas Vestra et fecerit et responderit. Quorum utrumque nobis per placet, hoc est tam factum quam responsum, ita ut nullus relinquatur consilio dando locus.

Nos quoque iam dudum pro eo enitimus, efflagitantibus id a nobis amicis eius et consiliariis nostris plerisque. Enitimus autem per litteras. Ita enim commodius fore visum est duabus de causis. Primum, quod ea res celeritatem postulat, et citius multo percurrere potest tabellariorum cum litteris quam nuncius. Alterum, quod propter continuos istos et intestinos tumultus in Hungaria non satis expedita neque absque periculo sunt itinera, quod facilius potest vitare tabellariorum quam nuncius, cum ille solus iter faciens haud difficulter latere possit, huic impedimento sit comitatus. Hoc itaque nostrum fuit consilium, quod secuti sumus in hac re. Cupimus Illustritatem Vestram foelicem esse. Vilnae, XX^{ma} Octobris, anno Christi MDXXXIIII, Regni vero nostri anno XXVIII.

Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis.

N. 131.

Vilnae, 6.XI.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de reformatione limitum terrarum differenda.*

Sigill. IV maius.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Habemus nunc cum Venerabili Domino Magistro Lywonie¹⁾ reformationem limitum terrarum nostrarum, invicem et contiguo sibi coherentium, hyeme hac proxime instanti perficiendam mutuo constitutum, et Commissarios ad id deputatos. Cum vero tempus ipsius unius hyemis et pro illorum reformatione limitum vix sufficiat, et cum haud commodum sit nobis nunc de aliis eiuscmodi Commissariis ad similem fatigam mittendis, nunc primum enim redit nobis de bello Moskowico²⁾ militia hic nostra, tametsi fausto quidem et propicio Marte, at non sine attritione, ut ab fatigis et erumnis bellicis, ne gravetur igitur Illustritas Vestra simile et nostrum et suum reformationis limitum Ducatum nostrorum negotium habere dilatum ad hyemem post hanc instantem, proxime tandem et immediate, utinam incolubus nobis, venturam, ad diem postea pro opportunitate prescribendum. Et bene Illustritas Vestra, id quod optamus, cum suis charis pignoribus valeat. Datum Vilne, feria sexta infra octavam Sanctorum Omnim, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Regni autem et Magni Ducatus nostrorum vigesimo octavo.

Ad mandatum Serenissime Regie eiusdemque Ducalis Maiestatis proprium.

Conducten und anders so den landen Preussen zu verfangt vorenthalten eingewendet wurde etc.

¹⁾ sic in ms.

²⁾ Valterus a Cronberg.

Vilnae, 7.XI.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro subditis suis Lithuanis, qui nimis gravari se a notariis et exactoribus
arcis Labkow questi sunt.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Questi sunt nobiscum subditi nostri ex hoc Ducatu Litvaniae gravari se maiorem in modum a notariis et exactoribus arcis Labkow. Plus iusto enim se ab illis retineri transituque prohiberi, quo maiora, quam ius et mos est, telonea et vectigalia persolvunt^{a)} et maiores illic immorando sumptus faciant. Deinde idem hoc et in pagis quibusdam fieri non ob aliud, nisi ut illos damnis suis ditent.

Aiunt autem se retineri interdum et tres septimanas, velut hoc tempore retentos se esse, quoadusque fluvius factus est glacie innavigabilis, ita ut domum reverti non potuerint.

Itaque postulamus Illustritatem Vestram, cohercat notarios et subditos suos, ne quid deinceps praeter ius et consuetudinem exigant a mercatoribus et aliis subditis nostris, neve quid negotii ipsis facessant, quominus commode navigare possint. Erit id nobis gratum et parem vicissim gratiam referemus Illustrati Vestrae. Quam foelicem esse cupimus. Vilne, VII Novembris, anno Domini MDXXXIIII, Regni nostri anno XXVIII.

Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis,
Referente Magnifico Alberto Gastold Palatino Vilnensi etc.
et Magni Ducatus Lituaniae Cancellario.

^{a)} sic in ms., erronee pro: persolvant.

Vilnae, 25.XI.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro carpionibus sibi missis gratias agit.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

Vilnae, 27.XI.1534.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro piscibus per Franciscum Skier, archimagicum ducis, sibi missis
gratias agit.
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 296.*

Vilnae, 6.XII.1534.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut adventus ducis et Ioachimi marchionis Brandenburgensis differatur.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 296.*

*Sigismundus etc.
Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.*

Intelleximus voluntatem et desyderium Illustritatis Vestrae, ut sibi liceret hisce diebus ad nos excurrere ac perficere, ut huc Illustris Dominus, Dominus Ioachimus Iunior, Marchio Brandenburgensis, his paucis diebus ad visendum nos et noticiam atque familiaritatem nobiscum ineundam, quemadmodum cupit, commode venire posset. Nos quidem hunc Domini Marchionis animum et hoc erga nos studium maiorem in modum exoscularum. Ac non minore et ipsi vicissim erga ipsius Illustritatem propensione idem hoc optamus, ut ipsius Illustritatem videre, noscere et necessitudinem nostram mutuam consuetudine, et quibuscumque rebus possemus, ex utriusque sententia augere et confirmare nobis liceret.

Verum enimvero non videmus, quo pacto hic nunc ipsius Illustritatem ita, ut cupimus, et ut quum ipsius Illustritati, tum nobis dignum est, accipere et tractare possimus, maxime quum toti hoc tempore ad bellum cum hostibus nostris gerendum incumbamus omnemque cogitationem nostram atque studium in parandis iis rebus, quae sunt ad bellum necessariae, ponamus et consumamus.

Ad haec aliae quoque res, de quibus Illustritati Vestrae antehac significavimus, obstant, quominus id facere et admittere nunc nobis sit in animo. Tamen si hoc tantopere ipsius Illustritas expetit et flagitat, per nos certe non steterit, quominus id brevi confiat, ita ut et illius Illustritatis et nostra voluntas est, sed non hic tamen, sed alibi constituto loco atque tempore. Nam quod attinet ad alias res, de quibus nobiscum ipsius Illustritas actura esset, si eadem ipsius Illustritatis^{a)} firma et perpetua stat sententia, nos profecto iidem sumus, qui semper fuimus, et ratum fixumque habemus in animo, ut eius Illustritatis votis cumulate

respondeamus ac satisfaciamus, et poterint hae res equae bene, etiam si illius Illustritas ad nos nunc non^{b)} venerit, confici.

Itaque nihil est, quod nunc Vestra Illustritas labore hunc non necessarium ad nos excurrendi sumere ac subire velit. Confidimus enim Dominum Marchionem hanc nostram excusationem aequo animo admissum esse. Nuncios vero ipsius Illustritatis, et cum iis Illustritatem Vestram,^{z)} cum venerint, alaci et grato animo summaque voluntate accipiemus. Et nostra quidem haec voluntas, quam alias Illustritati Vestrae declaravimus, stabilis est atque constans. Nunc iam cupimus Illustritatem Vestram salvam et foelicem esse. Vilnae, VI Decembris, anno Domini MDXXXIIII, Regni nostri anno XXVIII.

a) in ms. Illustris.

b) sequitur verbum expunctum: veniret.

z) sic in ms.

N. 136.

Vilnae, 26.III.1535.

*Sigismundus I rex Poloniae
terrarum Prussiae consiliarius
de necessitate consiliorum inter ducem et Ordines Prussiae.*

Sigill. III.

H.B.A., B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Reverendis in Christo Patribus, Magnificis, Generosis et Famatis, spiritualibus et secularibus terrarum nostrarum Prussiae Consiliariis, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverendi in Christo Patres, Magnifici, Generosi et Famati, sincere nobis et fideles dilecti.

Indicavit nobis Illustris Dominus Albertus Dux Prussiae etc., nepos noster charissimus, negotia quaedam sua maximi momenti, in quibus uti vellet consilio nostro suo tempore. Sed quum vereremur, ne qua hoc pacto damnosa mora tantis negotiis, quae celerimo consilio opus habent, per disiunctionem nostram et occupationes, quibus hic nunc distenti sumus, fieret, consultius fore censuimus, si ille consilia sua vobis, terrarum nostrarum Prussiae Consiliariis, communicaret vobiscumque rationes, per quas rebus suis et suorum posset consulere, iniaret. Id ipsius Illustritas non gravatim accepit atque adeo postulavit a nobis, ut hoc ita voluntate atque iussu nostro fieret. Quocirca quum id vehementer sit ex re non solum illius, sed et nostra et universarium^{z)} Prussiae ditionum, et magnopere ad salutem omnium ex equo pertineat, iniungimus vobis universis et singulis, ut quoscunque de vobis idem Illustris Dominus Dux Prussiae, rebus ita postulantibus, ad se vocaverit, confestim omni cunctatione seposita, ad eum se conferant et consiliis suis fidelibus ipsi

presto sint. Aliter non facturi pro fide et officio suo erga nos et gratia nostra. Vilnae, XXVI Martii, anno Donimi MDXXXV, Regni nostri anno XXIX.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

a) in ms. Glebcz

N. 137.

Vilnae, 1.VI.1535.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Iosepho Jeziorkowski, ut ei coloni profugi restituantur.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 296.

N. 138.

Vilnae, 15.XII.1535.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de reformationis finium ob periculum Moscoviticum nova dilatione.

Sigill. IV maius.

H B A, B 1, K. 296.

Sigismundus etc.

Illustris, Nepos noster Charissime.

Non obducitur nobis oblivione, ut statueramus, cum Illustritate Vestra limites inter terras Magni Ducatus nostri Lithwaniae et Prussie Ducatus Illustritatis Vestrae innovandos esse et reformandos hyeme hac instanti. Que quidem res tametsi diu iam a nobis transactum iri cupiatur, nequit tamen perfici commode adhuc et impresentiarum. Nam cum limites illos accedendi et deducendi commodum esset, congelatis scilicet aquis et paludibus, eandem ipsam temporis hiberni commoditatem captat sibi et operitur hostis noster Moskus et molitur facere tunc in dominium hoc nostrum, ut preterita hyeme, incursionem. Id quod certis iam et non contempnendis perfertur nobis rumoribus. Decrevimus propterea et ediximus, ut milicia dominii huius nostri tota iterum accingatur iam bello et presto sit ad occurrendum hosti. Quoniam vero ut et proceres, quid ad rem illam limitalem a nobis Commissarii delegandi essent, et finitimi terrigene illi, quibus circa ipsam limitum reformationem coram eisdem Commissariis querele sue persequende forent, expeditioni illi bellice, ceteris postpositis, intersint et intendant necessum est, requirit itaque necessitas ea ipsa, id quod hic minus voluerimus, ut differamus iterum rem ipsam limitalem, quam tamen demum commodo et tranquilliori

tempore neglectumiri non patiemur. Interim vero Illustritas Vestra ne aliqua ex parte gravem duxerit dilationem eam et bene valeat semper. Datum Vilne, feria quarta post festum Sancte Lucie Virginis proxima, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, Regni vero et Magni Ducatus nostrorum vigesimo nono.

Ad mandatum Sacre Maiestatis Regie eiusdemque Ducalis proprium.

N. 139.

Vilnae, 20.XII.1535.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de querelis palatini Polocensis Ioannis Chlebowicz (Glebowicz) in rebus
iustitiae ex parte Prussica.
Vest. sigilli.
H B A, B 1, K. 296.*

Sigismundus etc.

Illustris Nepos noster Charissime.

Expositum est nobis querulose ex parte Magnifici Iohannis Glebowicz,^{a)} Palatini nostri Polocensis, quod nonnulli praefecti et iudices locorum Ducatus Illustritatis Vestrae, quibuscum propior intercedit ei vicinitas, ex oppido eius Poyury, remissiores sint ac difficiles et minus equi in reddenda et captanda vicissim iusticia in differentiis, que in convicinio ipso coincolis finium illorum ex consuetudine et conversatione eorum frequenti eventare solent. Unde subditi Illustritatis Vestrae, laxiori freti licentia, insolentius se gerant erga subditos eius, immo vero Magni Ducatus nostri, postergantes ius et equum, arctius etiam et sanctius in conterminio ipso utrinque mutuo observandum. Quemadmodum et nuper quidam Valentinus Bestendorf de Monte Regio, servitor olim adiutori oppidi eius praedicti Poyury, et Berulis de Tilsza, merces, partim Palatini ipsius et partim subditorum eius, intra Ducatum Illustritatis Vestrae venum advectas, nescitur qua temeritate, arrestaverint et detinuerint in damnum non modicum dominorum mercium ipsarum. Praeterea quod et servi ac noxii homines, qui ab excessibus et delictis suis de territorio eius sese subducentes, in Ducatum Illustritatis Vestrae perfugint, extradi recusentur, ac etiam impunitate gaudeant. Et quod aliis pluribus rebus ac modis iniurientur subditis eius subditi Illustritatis Vestrae, conniventia illa praefectorum suorum abutentes. Affectamus igitur, ut Illustritas Vestra eis ipsis praefectis et iudicibus locorum illic suorum severius iniungere velit, quo seduliores sint ad administrandam iusticiam et studiosiorem iuris vicinalis et equitatis mutue observationem, ne de cetero querele huiusmodi obstrepent auribus nostris. Et bene valeat ipsa Illustritas Vestra, id quod favemus ei animitus. Datum Vilne, feria secunda in vigilia Sancti Thome Apostoli, anno Domini MDXXXV^{to}, Regni vero et Magni Ducatus nostrorum vigesimo nono.

Ad mandatum Sacre Regie eiusdemque Ducalis Maiestatis proprium.

a) in ms. Glebcz

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Cruciferorum conspirationibus, qua in re Petrum Opaliński ad impe-
ratorem [Carolum V] mittit.
Sigill. III.
(Allegatur exemplar eiusdem legationis. Adest etiam versio germanica)
H B A, B 1, K. 297.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Probe ac libenter intelleximus ea, quae nobis Illustritas Vestra de Cruciferorum et aliorum quorundam conspirationibus et consiliis prescripsit. Quorum improbos conatus etsi speramus non esse processuros sic, ut illi volunt, quum a nobis stet iusticia, tamen vigilandum est sedulo, ne quid nobis imprudentibus mali obiciatur. Quod nos quidem, quantum in nobis situm est, facimus et faciemus accurate. De Vestra quoque Illustritate, cuius res maxime agitur, idem confidimus.

Dominus Episcopus Culmensis¹⁾ nihil ad nos scripsit ea de re, cuius facit mentionem Illustritas Vestra. Sed probatur nobis id, quod ipsi Illustritas Vestra rescripsit. Praeterea quid hac re faciendum nobis sit, non videmus. Domini Georgii Marchionis consilium nobis placet. Itaque dedimus in mandatis Magnifico Petro Opalinski, quem nuper ad Romanorum Caesaream et Regiam Maiestates Oratorem allegavimus, ut cum illis ea de re nostris verbis diligenter agat.

Domino Ioachimo Marchioni, genero nostro charissimo, rescripsimus nobis eum pergratum facere, quod nos omnibus de rebus certiores facit, et ut porro idem facere perget, adhortati sumus. Cupimus Illustritatem Vestram longum salvam atque fortunatam esse. Vilnae, 3 Marcii, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno XXX.

Ad mandatum proprium Sacrae Regiae Maiestatis.

1) *Ioannes Dantiscus.*

Annexum:

Legatio Regiae Maiestatis Poloniae ad Romanorum Caesaream et Regiam Maiestates.

Pro certo Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, comperit multorum e Germania amicorum suorum iudicio, Supremum Ordinis Theutonici Magistrum cum hominibus sui Ordinis non conquiescere, sed cum Illustri Domino Friderico Palatino Reni, qui nuper Christierni Regis Danorum filiam uxorem duxit, nova consilia, nova foedera inivisse et conspirasse in perniciem ditionum Suae Maiestatis, ac maxime Ducatus Prussiae. Quanquam autem ipsius Maiestas bello adversus schismaticos atque ethnicos gerendo nunc est impedita, tamen si quid illi incoeparent earum rerum, quas moliuntur, non posset pro debito ac dignitate sua iis subditis suis, qui infestarentur oppugnarenturque, deesse. Sed confecta utcunque cum ethnicis et schismaticis hostibus pace, christianos hostes

sociali et quasi civili bello persequi et a finibus suis arcere, magna cum indignitate ac dedecore christiani nominis, cogeretur.

Interim autem hostes christiani nominis et schismatici, qui citius ab illis, quam adversus illos pro christianis staturi sint, magna rerum suarum incrementa sumerent, magno Reipublicae Christianae dolore ac incommodo. Quare quum sciat ipsius Regia Maiestas Maiestatem Vestram in eam curam atque cogitationem cumprimis incumbere, ut compositis et extinctis christianorum inter ipsos detestandis dissidiis, optata tandem pax atque tranquillitas Orbi Christiano restituatur, viresque christianorum refocillate et coadunate, ethnicorum potentia debilitata et confracta, sese in pristinam dignitatem asserant, petit a Maiestate Vestra, ut quos habet Vestra Maiestas in potestate sua istius sui tam salutaris propositi obices et publicae pacis atque tranquillitatis, que christianis inter ipsos esse debet, turbatores, eorum improbos conatus et molimina autoritate imperioque suo sedulo cohipeat et compescat, atque illud, quod iam dixi, institutum suum eodem, quo coepit, studio prosequatur. Quorum hoc uti christiano Principe, illud etiam uti necessitudine, quae Vestrae Maiestati cum Domino meo clementissimo intercedit, dignum est, Vestra Maiestas faciet. Mallet enim ipsius Maiestas eos sumptus, qui in istud quasi civile cum christianis bellum faciendi essent, adversus schismaticos ac ethnicos facere

N. 141.

Vilnae, 29.III.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*in foedere cum Livonibus sanciendo rationem se habiturum postulatorum
ducis; ad Gedanenses se dedisse mandata de navibus non vendendis;
de pace Lubecensium cum rege Daniae electo [Christiano III] se gau-
dere nuntiat.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

*In foedere sanciendo confirmandoque cum Livonibus, quorum Legati
iam huc venerunt, habebitur ratio postulatorum Illustritatis Vestrae, quod
attinet ad Ducatum Prussiae.*

Ad Gedanenses dedimus mandata de navibus non vendendis, quemadmodum cupivit Illustritas Vestra, nisi quod non expressimus nominatim Holandos, sed in genere, quicunque aliquid adversus ditiones nostras machinari velle viderentur aut eorum, qui machinantur, negocium agerent. Tutius enim hoc esse videtur.

Quicquid nobis responsi allatum erit a Caesarea et Romanorum Regia Maiestate¹⁾ ad legationem nostram de Cruciferorum conatibus cohibus, communicabimus cum Illustritate Vestra. Uxori Glaubicz defuncti sat is iam a nobis benigne factum est, et arx nostra Mariemburgensis opus habet accessione eius praedii, quod ipsa petit.

Novarum rerum quod nos Illustritas Vestra participes fecit, habemus gratiam. Iucundum vero auditu nobis fuit Lubecensibus pacem cum Serenissimo electo Rege Daniae factam esse, quam cupimus firmam esse ac diuturnam. Speramus enim id in rem nostram et ditionum nostrarum fore. Quod reliquum est, optamus Illustritati Vestrae diuturnam valetudinem ac perpetuam foelicitatem. Vilnae, XXIX Martii, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno XXX.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

1) *Carolus V et Ferdinandus I.*

N. 142.

Vilnae, 3.IV.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de bonis Rheden.*

Sine sigillo.

H B A, B 1, K. 297.

N. 143.

Vilnae, 8.IV.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Quemadmodum Illustritas Vestra postulaverat, commonefecimus Palatinum et Praefectum nostrum Plocensem,¹⁾ ne quid novi telonii in subditos Illustritatis Vestrae vel quenquam alium in Rudowo constitueret. Nunc is rescripsit nobis atque negavit se quicquam novasse, aut praeter ius et antiquam consuetudinem a quoquam exigere. Sed contra praefectos et officiales Illustritatis Vestrae sibi atque adeo nobis esse iniurios, qui subditos Illustritatis Vestrae vetent solitis itineribus proficisci aliquam viam invenerint, in detrimentum atque fraudem telonii nostri. Quod ne fiat, Illustritatem Vestram postulamus. Fecerit in hoc nobis Illustritas Vestra rem gratam. Cui diuturnam valetudinem et incolumitatem optamus. Vilnae, VIII Aprilis, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno XXX.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

1) *Felix Srzeński.*

N. 144.

Vilnae, 23.IV.1536.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci*

de iniuriis subditis suis in Samogitia a Pruthenis illatis.

(m.p. reginae subscriptum. Adiunctus est elenchus nominum et gravaminum.)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 297.

N. 145.

Vilnae, 24.IV.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de vindicationibus Camerae Imperialis in subditos regis; de finibus regundis inter Ducatum Prussiae et Masoviam.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Miramur iudicium Camerae Imperialis adhuc sibi vendicare iurisdictionem in subditos nostros. Itaque scripsimus ad eos iudices, quemadmodum Illustritas Vestra postulavit.

De regundis finibus, qui inter ditiones Illustritatis Vestrae et Masoviam intercedunt, dedimus negotium Reverendo Domino Episcopo Praemisiensi,¹⁾ cum quibusdam aliis. Vestra quoque Illustritas suos delegabit, ut communi consensu die certa constituta utrinque convenient et controversiis omnibus finem faciant. Cupimus Illustritatem Vestram longum bene valere et felicem esse. Datum Vilnae, die XXIIII Aprilis anno Domini MDXXXVI^{to}, Regni vero nostri anno XXX.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

1) Andreas Szoldrski.

N. 146.

Vilnae, 25.IV.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

non visum esse sibi iterum ad principes Germaniae de tollendis proscriptiōnibus scribere.

Sine sigillo.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Etsi nihil debebatur Ioanni a Rotembergk, qui ab aula et comitatu

nostro abfuisset, tamen ut Illustritati Vestrae gratificaremur, iussimus ei trimestre stipendum ex eo tempore, quo abfuit, numerari.

Ad Principes vero Germaniae, quod petit Illustritas Vestra, ut iterum scribamus de tollendis iudiciis et proscriptionibus, quibus Illustritas Vestra cum subditis suis a iudicibus Camerae Imperialis proscriptur, quoniam scripsimus antehac, et illi excusarunt ac negaverunt se quicquam in ea re posse efficere, non visum est nobis inanem scribendi operam sumere. Cupimus Illustritatem Vestram longum sospitem et fortunatam esse. Vilnae, XXV Aprilis, anno Domini MDXXXVI, Regni vero nostri anno tricesimo.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 147.

Vilnae, 25.IV.1536.

*Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
quattuor equos per Hieronymum Chodkiewicz (in ms. Choczkyevicz) dono
mittit.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 297.

N. 148.

Vilnae, 19.V.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Iacobo Szulcz, advocate Caunensi, cuius bona quaedam et mercan-
tiae in Regio Monte arrestatae sunt.*

Sigill. IV maius.

H B A, B 1, K. 297.

N. 149.

Vilnae, 17.VI.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
respondebat ad quaesitum ducis de lite ipsius cum fratre suo Georgio de
feudis in Hungaria et altis; de legato Livoniensi.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos Charissime.

Retulerunt nobis Generosus Nicolaus Nipschicz et Famatus Ioannes Lomoller ea omnia, quae ab Illustritate Vestra in mandatis habuerunt. Itaque habemus gratiam Illustritati Vestrae, quod tam diligenter nos iis de rebus certiores facit. Quarum rerum ne simus ignari, nostra et nostrarum ditionum interesse existimat. Erit autem nobis vicissim curae

salus et incolumitas Illustritatis Vestrae atque subditorum eius ac ditio-
num quoque ipsius tuitio atque tranquillitas.

De Ducatis Oppoliensi et Rathiboriensi et de iis possessionibus,
quas frater Illustritatis Vestrae, Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis,
habet in Ungaria, non facile est nobis appositorum et certum dare
consilium, ignaris rerum, legum et consuetudinum, quae in iis locis re-
ceptae sunt, nisi quod non satis nobis consultum videtur, eum de impen-
diis in Ducatu Oppoliensi et Rathiboriensi factis nimium contendere cum
Serenissimo Rege Romanorum, sed comiter potius et placide eius Mai-
statis animum pertendantum, precarioque et persuasionibus, ut facere
velit, demulcendum esse iudicamus. Et confidimus eum se non usque-
quaque difficultem exhibitum esse. Nam quod ad Ungaricas possessiones
attinet, cognati sunt atque fratres inter se Dominus Georgius et Dominus
Ioachimus Marchiones. Non dubitamus eos ita inter se composituros
esse, uterque ut alteri quod ex usu sit accurate prospiciat faciatque.

Legatum Livoniensem prehendi nobis non placet multis de causis,
sed in primis ne violentur foedera, quae nobis sunt cum Livoniensibus.
Deinde quod is a Serenissimo Rege Romanorum revertitur, qui nobiscum
arcta admodum propinquatus pariter et affinitatis necessitudine coniunctus
est, nihil ut eum adversus nos ac ditiones nostras cum quoquam consilii
capere opinemur. Haec breviter et summatim. Quoniam copiosius ad
singula illis, per quos nobis Vesta Illustritas ista et alia pleraque retulit,
respondimus. Cupimus Illustritatem Vestram longum sospitem et foeli-
cem esse. Datum Vilnae, die XVII Iunii, anno Domini MDXXXVI^{to}, Regni
nostris anno XXX.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

N. 150.

Vilnae, 28.VI.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de quibusdam ex carcere in Velona elapsis, qui praefecto castri offendit
et equis abductis, in Ducatum aufugerunt, rex a duce iustitiam postulat.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 297.

N. 151.

Vilnae, 3.VII.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de querelis Ioannis Chlebowicz (Glebowicz), palatini Polocensis et praefecti oppidi Taurogi.

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Obstrepitant nobis iterum querele ex confiniis, et hodie enim ex parte

subditorum Magnifici Ioannis Glebowicz, Palatini Polocensis, Praefecti et incolarum oppidi eius Taurogi expositum est, quod quidam illius noxii debitores, fideiussores, damnificatores, malefactores servique et illiberi, subducentes sese a suis demeritis, debitibus et servitute, et impunitatem ac securitatem captantes, transfugierint in Ducatum Illustritatis Vestre. Praeterea quod incole etiam Ducatus eiusdem Illustritatis Vestre, quidam Beruli et Valentinus Bestenffas, iniurientur Taurogensibus ipsis per arrestationes et retentiones mercium etc. Et quanquam constitutus fuerit ab Illustritate Vestra ad huiusmodi querelarum cognitionem et diffinitionem dies certus hyeme proxime preterita, quia tamen eo temporis incolis Magni Ducatus nostri omnibus universalis incumbebat bellica expeditio, qua propter non licuit querentibus ipsis tunc persequi querelas suas. Nunc itaque affectamus, ut Illustritas Vestra id, quod iusticia requirit et quod populorum finitimorum mutua equitas quodque ius ipsum vicinitatis suadet, et quemadmodum constitutionibus federalibus inter provincias eas olim sancitum est, fieri faciat in premissis, ne si licitum fuerit vel illis isthuc velut ad asylum confugientibus in tuto esse, vel hiis in res vicinorum frivole arrestamenta damnosa exercere, pullulante licentia huiusmodi, labefactetur mutua inter populos ipsos finitos communitas et commerciorum equanimitas, id quod in diminutionem proventuum et in incommodum redundaret et nobis et Illustritati Vestre. Curabit itaque Illustritas Vestra cohercere et bene semper valebit. Datum Vilne, feria secunda infra octavas Visitacionis Virginis Gloriosissime Marie, anno salutiferi eius partus millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Regni vero ac Magni Ducatus nostrorum trigesimo.

Ad Mandatum Serenissime Maiestatis Regie
eiusdemque Magno-Ducalis proprium.

N. 152.

Vilnae, 14.VIII.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de urbe Hafnia a rege Daniae [Christiano III] capta gaudet.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Permagno gaudio nos litterae Illustritatis Vestrae affecerunt. Attulerunt enim nobis laetum et optatum nuncium de prospero rerum successu deque Victoria Serenissimi electi Regis Daniae, affinis sui. Itaque gratiam habemus Illustritati Vestrae, quod ea de re nos certiores facere non praetermisit. Serenissimo autem Regi Daniae ditionem istam urbis Coppenhagensis ex animi ipsius sententia cecidisse tam nobis iucundum est, quam quod maxime. Optamusque a Deo Optimo Maximo, ut ei ultima cum primis contexat et hostibus ipsius, si qui sunt reliqui, perdomitis,

pacatum ipsi iam tandem ac tranquillum Regnum Daniae stabilia. Cupimus Illustritatem Vestram longum bene valere. Vilnae, XIIII Augusti, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno tricesimo.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 153.

Vilnae, 3.IX.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de moliminibus Cruciferorum Livoniensium; de magno itinere ducis in Germaniam; quem rex ad prudentiam hortatur, ne banni caesarei obliviscatur.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Cruciferos Livonienses omni ope conniti et moliri, ut nobis Ducatum Prussiae reliquaque in eadem provincia intervertant, etiamsi non acciperemus alicunde, proclive tamen id esset coniicere. Itaque ergo cavemus sedulo, ne quid inopinatibus damni dent et incommodi. Quanquam confidimus non processuros esse conatus ipsorum improbos, neque enim aspirabit coepitis eorum Deus, cuius legem atque religionem contaminarunt. Neque vero si quid iuris haberent, merito id suo Ordini, a quo desciverunt, recuperare possent. Nunc quum alienum ius vi armisque usurpare sibi conentur et Christianam Rempublicam, quam defensam ab illis esse oportuit, perturbent, sperandum est non successurum hoc illis esse ex sentencia.

Iter istud, ad quod se Illustritas Vestra accingit, optamus, ut faustum sit ac prosperum, confidimusque Illustritatem Vestram in eo eas res acturam et conjecturam esse, quae res ipsi Illustritati Vestrae primum, deinde Ducatu Prussico, postremo nobis et universo Regno Poloniae bono futurae sint. Quod ut diligenter curet, Illustritatem Vestram hortamur et postulamus. Illud quoque, qua sumus animi propensione erga Illustritatem Vestram, praetermittere non possumus, quin Illustritatem Vestram, memorem alioqui et prudentem, admoneamus, si longius iter ingressura est, diligenter ut saluti et incolumitati suaे prospiciat, memor temporum istorum, quibus homines fere quae libeant licere sibi existimant, memor et proscriptionis istius sive banni caesarei.

Filiam nostram charissimam, coniugem Domini Ioachimi Marchionis Brandenburgensis, Principis Electoris, Illustritatis Vestrae velut sororem, diligenter commendamus, petimusque ab Illustritate Vestra, ut ipsius commodis atque dignitati, quoad commode fieri poterit, apud virum ipsius inserviat. Nos vicissim coniugem et filiam Illustritatis Vestrae sedulo tuebimur, et quibuscumque rebus poterimus, adiuvabimus.

Quod attinet ad Iudeos Posnanienses, reiecimus id negocium ad Generalia Regni Comitia, quo amplius deliberati, cum consensu et con-

silio omnium Ordinum de iis, quid factu opus sit, constituamus. Cupimus Illustritatem Vestram longum salvam et foelicem esse. Vilnae, tercia Septembris, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno XXX.

a) Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.^{b)}

a)-b) alia manu.

N. 154.

Vilnae, 6.IX.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Iusto Ludovico, subdito suo, in Silesia a praedonibus capto.*

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

N. 155.

Vilnae, 23.IX.1536.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro cive Grodnensi, nomine Romanus, cui Marquardus, civis Montis Regii, boves retinuit.*

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 297.

N. 156.

Cracoviae, 6.XII.1536.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
mittit exemplum litterarum palatini Rheni; ducem expectat.*

Sine sigillo.

(Extat etiam duplex versio germanica. Adiunctum est exemplum litterarum Ottonis Henrici palatini Rheni ad utrumque regem Poloniae, quibus salvum conductum expetit in Poloniā venturus)

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos Charissime.

Allatae sunt ad nos hisce diebus litterae ab Illustri Domino Ottone

Henrico Comite Palatino Reni, quarum exemplum ad Illustritatem Vestram mittimus. In [quibus]^{a)} quum scribat se iam iter ingressum esse, speramus eum ad diem Christi Nat[ivitatis]^{a)} hic affore. Quo tam brevi spacio temporis nescimus, an Illustritas Vestra etiam huc pervenire possit. Expectabimus tamen usque ad primam Ianuarii. Nam diutius expectare gravissima Regni nostri negotia nos non patiuntur. Quare significabit nobis Illustritas Vestra ea de re primo quoque tempore, ut quid nobis faciendum sit sciamus. Quam salvam et foelicem esse cupimus. Cracoviae, VI Decembris, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno tricesimo.

b) Commissio Regiae Maiestatis propria.^{c)}

^{a)} foramen in charta.

^{b)-c)} alia manu.

Annexum:

Serenissimis Polonorum Regibus, patri foelicissimo et filio laudatissimo, cognatis nostris observandissimis, salutem et omnia fausta.

Posteaquam nobis a personis fide dignis certo certius indicatum est utrasque Maiestates Vestras Regias ex Lituania, Ducatu suo, Cracoviam foeliciter rediisse atque illic aliquanto diu permansuras, ut tandem utrinque diurni voti nostri compotes fieremus et mutuo conspectum^{z)} atque colloquiis familiaribus vinculum cognitionis nostrae arctius obfirmare possemus, oblatam huic rei occasionem optimam, nequaquam negligendam aut contemnendam censuimus, quin imo ad easdem Maiestates Vestras Regias profecturi ex Neuburgo oppido nostro vigesima septima huius mensis Novembris discedemus, sperantes nos, Deo volente, vice-simo secundo die proxime venturi mensis Decembris ad Wenssinum, oppidum Maiestatis Vestrae, perventuros. Rogamus itaque ac hortamur quam enixissime, Regiae Maiestates Vestrae dignentur nos salvo suo ac vivo conductu per familiares suos ibidem excipere, ut videlicet pro ratione periculosi huius temporis eo securius ad Maiestates Vestras liceat accedere.

Proinde non minus hortamur, ut et cognatum nostrum dilectissimum Albertum Marchionem Brandenburgensem, Ducem Prussiae etc., iuxta institutum ad se accersere dignentur. Id quod et litterae nuper ad nos datae futurum pollicebantur, et in rem communem omnium nostrum non mediocriter futurum speramus. Quae omnia si fecerint Maiestates Vestrae, nobis mirum in modum gratificabuntur, ad obsequia quaevis nos devinctissimos obligaturae. Quae interim quam foelicissime valeant. Datum apud Neuburgum Danubii, oppidum nostrum, duodecima Novembris, anno MDXXXVI^{to}.

Otto Henricus Comes Palatinus Rheni,
Dux Bavariae subscrispsit.

^{z)} sic in ms.

N. 157.

Cracoviae, 27.XII.1536.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

excusationem ducis acceptat, quod ob partum uxoris venire non potuit;
adventum palatini Rheni nuntiat; de iuramento regis iunioris.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Non iniqua causa est, quamobrem se Illustritas Vestra hoc tempore
ad nos venire posse negat, nempe propinquus partus uxoris. Quae ut
salva et sospes filium Illustritati Vestrae pariat, optamus. Venit heri in
conspectum nostrum Dominus Otto Henricus Palatinus Rheni,
pronepos noster, qui quanquam nihil adhuc qua de re venerit aperuit,
cuperemus tamen Illustritatem Vestram colloquiis nostris mutuis inter-
esse potuisse. Deinde et Serenissimus Rex iunior, filius noster, iusiurandum
in his Comitiis subditis suis daturus est. Quod ni speravissimus
Illustritatem Vestram adventuram esse, legatos ipsius tam cito non dimi-
ssimus, sed quando sic cecidit, ferendum est aequo animo. Cupimus
Illustritatem Vestram longum sanam et felicem esse. Cracoviae, XXVII
Decembris, anno Domini MDXXXVI, Regni nostri anno XXX^{mo}.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 158.

Cracoviae, 2.II.1537.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Nicolao Jeziorkowski de Rogiunice, iudice terrae Lomzensis, ut ipsi
"kmetones" profugi restituantur.

Sigill. III.

H B A, B 1, K. 297.

N. 159.

Cracoviae, 13.II.1537.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de institutione commissariorum: episcopi Culmensis [Ioannis Dantisci]
et aliorum, qui fines inter Ducatum et ditiones Pruthenicas regis inspi-
ciant, regant atque dirimant.

Sigill. III.

(Adest etiam exemplar epistolae regis ad eosdem commissarios, no-
minatim enumeratos, de eadem re)

H B A, B 1, K. 297.

Cracoviae, 8.III.1537.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
vehementer protestatur contra iniurias et crudelitates, quas subditi sui
patiuntur a praefectis ducis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Nescimus, quo malo fato accidat, quod subditis nostris, qui vel nego-
ciandi gratia vel quidvis aliud curandi isthuc in Ducatum Illustritatis
Vestrae se conferunt, in tanto Illustritatis Vestrae et eius Praefectorum
versari odio dicantur, ut non solum de acceptis iniuriis plerisque queren-
tibus in nullo isthinc iudicio satisfiat, sed nonnullis etiam merces, pecunia
libere comparatas, evehere isthinc capitale extiterit. Et sane quidem, ut
alios ommittamus, qui a Praefectis Illustritatis Vestrae iniuriam se acce-
pissemus nobis sunt questi, subditi nostri ex oppido Vansosse accurrerunt
hoc tempore ad nos, lugubriter declarantes civem suum ex dicto oppido,
subditum nostrum Stanislaum Drila, quem mel et piscesrecio soluto
comparatas domum veheret, per Illustritatis Vestrae Rinensem Capita-
neum esse detentum, et postea piscibus et melle ademptis, furca suspen-
sum.

Quae res, ubi ita foret, et crudelitatem non parvam et iniusticiam
apertam praeseferre, nostro item iuri et authoritati praeiudicium non
mediocre afferre videretur. Proinde Illustritatem Vestram hortamur ab
illa postulantes, ut re hac prospecta et cognita, tam nobis quam subditis
nostris de suo Capitaneo praedicto iusticiam velit ministrare et in poste-
rum providere, ne nostri subditi eiusmodi pericula vitae, iniurias in do-
miniis Illustritatis Vestrae sustineant. Alioqui enim consilium nobis que-
rendum foret, quo et subditos nostros ab iniuria et dignitatem nostram
ab offensa vindicare, prout aequum est, possumus.

Queritur etiam ex oppido eodem alias subditus noster, Pawloczinski,
quod hactenus non fuerit illi solutum residuum eius peccuniae, quam
Illustritas Vestra ex convento pro bonis receptis se illi dare receperat.
De quo nobis quoque satisfecerit Illustritas Vestra, si quod suum est illi
sine magno negocio tribuerit. Quam bene valere et foelicem esse optamus.
Datum Cracoviae, feria quinta ante dominicam Letare, anno Domini
MDXXXVII, Regni nostri anno XXXI.

Cracoviae, 18.III.1537.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Thoma Sobocki, tribuno Lanciciensi.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 297.

N. 162.

Cracoviae, 10.IV.1537.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
accuratiores notitias postulat de iniuriis a subditis Magni Ducatus Lithuaniae in terris ducis illatis, quo iustitiam facere possit.
Vest. sigilli I.
H B A, B 1, K. 297.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Queritur Illustris Dominatio Vestra subditos quosdam nostros in Magno Ducatu Lithuaniae ultra fines suos progredi et ea sibi per iniuriam vendicare velle, quae ad Illustritatem Vestram iure pertinent. Interea vero neque qui sint illi, qui designare facinus hoc ausi fuerunt, neque ubi locorum sit designatum, vel verbo meminit. Nos quidem hii sumus, qui cum alios omnes, qui in fide nostra sunt et potestate, tum presertim Illustritatem Vestram, tam arcta nobis necessitudine coniunctam, sartam tectam, quod aiunt, a vi cuiusvis et iniuria cupimus conservare. Sed quamdiu nil certi habemus, per quos aut ubi locorum facta sit iniuria Illustrati Vestrae, de qua nobis queritur, non videmus quid nobis certi statuendum, ad quos mandata danda, in quos animadverendum nobis sit. Ubi vero facti erimus per Illustritatem Vestram de rebus hisce singulis diligentius certiores, dabitus a nobis opera, ut se ad fidem et patrocinium nostrum non frustra sentiat configuisse. Neque enim est quisquam, cui minus ferre possemus iniuriam a quoquam fieri, quam Illustrati Vestrae. Quae bene valeat. Cracoviae, X Aprilis, anno Domini MDXXXVII, Regni nostri XXXI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 163.

Niepołomice, 24.V.1537.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de subditis suis de Plotole a subditis ducis ex arce Klajpeda detentis
queritur.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 164.

Cracoviae, 25.VI.1537.

Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro equo sibi missa gratias agit.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 297.

N. 165.

Wojnicz, 19.VII.1537.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de itinere ducis in Daniam; de iteratis conatibus regis, ut imperiale
bannum a duce tollatur; de sua proxima contra Valachum expeditione.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, quibus scribit se vocatam cum Illustri Principe et Domina coniuge sua ad Serenissimum Dominum Christianum Electum Daniae Regem, consanguineum et affinem suum, pro die dominico post Laurentii, qui solenni illius Maiestatis coronationi destinatus est, ire decrevisse. Quae res auditu fuit nobis iucunda. Eam enim profectionem, quae fit honoris causa illius Maiestatis, nobis quoque, Regno et isti Illustritatis Vestrae provinciae aliquid commodi et utilitatis allataram fore nihil dubitamus, atque ideo istud iter Illustritati Vestrae foelix et faustum praecamur, utque et illius Maiestatem, ad quam est itura incolumis, incolumem conspiciat et rursus ipsa sana et sospes ad Ducatum subditosque suos revertatur, ex animo optamus. Quibus subditis pro eo, quod nos Illustritas Vestra rogat, nulla in re, quantum in nobis est, deerimus.

Caeterum, quod Illustritas Vestra in memoriam nobis reducit, ut cum Oratores nostros ad Serenissimum Dominum Romanorum, Hungariae et Bohemiae Regem,¹⁾ consanguineum et affinem nostrum charissimum, mittemus, Illustritatis Vestrae provinciae in hoc non obliviscamur, ut et bannum imperiale ex ea tollatur et pax ei certa procuretur, nos id non modo non inviti, sed etiam sponte nostra memores accurate faciemus. Si autem de nobis et rationibus nostris Illustritas Vestra scire cupit, qui sit illarum status, nos imprimis, Deo sit gratia, cum nostris omnibus recte valemus et cum exercitibus nostris adversus iniurium atque insolentem Valachum, nostrum hostem, tendimus. Quae inicia nostra ad bonum rei exitum Deus Dominus in beneplacito suo dirigere dignetur. Haec de nobis Illustratatem Vestram scire volumus. Quam bene valere optamus. Datum in Voinicz, XIX die mensis Iulii, anno Domini MDXXXVII, Regni nostri XXXI.

a) Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

1) *Ferdinandus*.

N. 166.

Cracoviae, 19.VIII.1537.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat extraditionem praedonum capitaneatus sui Grodnensis ac puni-
tionem eorum complicum, ducis subditorum.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 297.

N. 167.

Leopoli, 10.IX.1537.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio Danico.
Sigill. II.
(Annexa: schedula de negotio cum Valtero a Cronberg, Ordinis Theu-
tonici magistro; exempla litterarum Ottonis Henrici, palatini Rheni,
et responsi regis Poloniae)
H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Quod Illustritati Vestrae gratae fuerunt litterae nostrae, quas illi
tum cum iter huc faceremus, ex oppido nostro Voinicz scripsimus, hoc
nobis fuit auditu gratum ac iucundum. Cum enim nos in gratificando
Illustritati Vestrae animo sumus propenso, illius vicissim gratum erga
nos animum non mediocri voluptate et charitate complectendum nobis
censemus.

Quod attinet negocium Serenissimi Domini Regis Daniae, ob quod
cum Illustrissimo Principe Fraederico²⁾ Comite Palatino Rheni, Bavariae
Duce, concordia institui deberet, ante octiduum accepimus ab Illustris-
simi Domino Ottone Comite Palatino, ipsius Illustrissimi Principis Fre-
derici nepote, literas eodem ferme arguento scriptas, quo sibi scriptum
esse a Sua Illustrissima Dominatione Illustritas Vestra declarat, inserto
etiam in litteris simili exemplo litterarum ipsius Illustrissimi Principis
Domini Fraederici, sicut est quod nobis misit Illustritas Vestra. Cuius
Illustrissime Dominationi quum non haberemus quod respondere pro
necessitate rei decenter potuissemus, id respondimus, quod nobis in
mentem tum venit magis aptum atque consultum. Cuius nostrae respon-
sionis et Illustrissimi Domini Ottonis Principis scriptionis, tam de dicta
Regni Daniae concordia, quam de negocio Illustritatis Vestrae cum novo
Ordinis Theutonicorum Magistro scriptis, ut melius perspectam habere
rationem Illustritas Vestra possit, illi cum praesentibus exempla istorum
omnium mittimus.

Nunc etiam acceptis Illustritatis Vestrae literis, ad Illustrissimum Dominum Ducem Ottонem eius causa, quod nobis Illustrissima Dominatio Vestra scripsit, literas^{a)} dedimus, et simulatque ille nobis rescriperit, quidcunque illud fuerit, quod ex literis ea de re cognoscemus, Illustritati Vesrtae significare non praetermittemus. Quod enim ad nos attinet, in re amicorum quid fieri debeat, inconsultis illis arbitratus nostro statuere nobis quicquam non licet. Hoc tamen nobis polliceri licet de nobis, quod ubi utrinque dissentienti amici voluntatem ad concordiam propensam viderimus, ad illam in bonum promovendam operam nostram simus alacriter adiuncturi, sumptibus etiam nostris minime parcentes.

At cum isthic est Illustritas Vestra apud Serenissimum Daniae Regem, percontari velit ab eius Maiestate, qua quid ratione in tractatione alicuius concordiae agi deberet vel possit. Id enim ubi nos cognoverimus, ad Illustrissimos Bavariae Duces perscribemus, ut si a pacificatione non abhorreant, in quamvis commodiorem et celeriorem occasionem tractandi animum et operam adhicere^{b)} ne graventur.

Nos iam exercitum congregatum adversus hostem habemus, sed quia nos adhuc distinet quibusdam scriptis et nunciis de concordia, continemus in certamen committere copias, sed ubi primum res in alterutram partem nobis super concordia diffinietur cum hoste, quod intra aliquod dies est finiturum, nos et nobis et Regno nulla ex parte deerimus, Dei benignitate et auxilio adiuti. Quod reliquum est, cupimus Illustritatem Vestram bene valere et foelicem esse. Datum Leopoli, feria secunda infra octavas Virginis Mariae, MDXXXVII, Regni nostri XXXI.

b) Sigismundus Rex subscripsit.^{c)}

a) in ms. literis

b)-c) manu propria.

z) sic in ms

Schedula adiuncta:

Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae etc.

Illustris Princeps et Domine, Consanguineo noster Charissime.

Quod Illustrissima Dominatio Vestra scribit se ad Dominum Valtherum a Cronembergk, Ordinis Theutonicorum Supremum Magistrum, persuasionem suam, ex desyderio atque postulatione nostra proiectam, perscrispisse, hoc nomine illi plurimas agimus gratias, quem (quum hactenus non respondit) optamus et citto et ex sentencia nostra respondere. Cuius responsum dum nos spe bona suspensi expectamus, Illustrissimam Dominationem Vestram bona valetudine frui et felicissimam esse optamus. Datum in civitate nostra Leopoliensi etc.

Annexum II:

Serenissime Rex, Domine et Cognate Observandissime.

Cum nuper ex Serenitatis Vestre Regno Poloniae in patriam nostram rediissemus, convenimus Illustrissimum Principem, patrum nostrum

charissimum, Fridericum Comitem Palatinum Rheni ac Bavariae Ducem, super his, que ex commissione Sacre Maiestatis Vestre nobis communicaaverat Reverendus in Christo, amicus noster singularis, Dominus Ioannes Dantiscus Episcopus Culmensis, concernencia controversiam, que propter Regna Daniae, Norvegiae ac alia dominia exorta esse posset, cum decenti Serenitatis Vestre voluntatis propositi ac oblationis relatione, a quo ad instantem nostram peticionem, ut nobis in hac re suum declareret animum, accepimus responsonem, quemadmodum ex inclusa praesenti copia Dignitas Vestra Regia intelliget.

Quandoquidem in reditu nostro ex Poloniae Regno Illustrissimus Princeps Elector, consanguineus ac affinis noster, Ioachimus Marchio Brandenburgensis, nos eadem de re interpellavit, videretur nobis non inconsultum aut incommodum fore, si Regia Vestra Dignitas illum, qui per matrem originem suam in Daniam refert, ad hoc negocium pertractandum simul adiungeret et adscisceret.

Et si eo res devenerit, ut dies et locus ad convenientendum assignetur, nec forsitan possit Vestra Regia Dignitas personaliter in eum locum comparere et adesse, quod tunc via suis Consiliariis et Oratoribus coordinaret et adiungeret Illustrissimum Principem, consanguineum et adfinem nostrum carissimum, Marchionem Albertum Ducem Prussiae etc., quem etiam ad hoc negocium non idoneum fore arbitramur, eo quod alteri parti affinitate iunctus sit.

Quantum vero ad personam nostram attinet, quoniam predictus patruus noster nos de hoc enixe rogavit, et praesentiam nostram in hac causa per liberenter²⁾ videret, quicquid cum Regia Dignitate Vestra et aliis predictis in ea boni, commodi et profici facere, invenire et excogitare poterimus, ad hoc omnem operam, studium et diligenciam libentissime adhibebimus, nec laborem ullum aut molestiam subire fugiemus. Quod ipsum iam dudum Regie Dignitati Vestre indicassemus, verum propter certas quasdam et notabiles rationes citius fieri non potuit.

Quod si in hac causa dies ad tractandum deputabitur, videtur nobis (sub correctione tamen Regiae Dignitatis Vestre) una ex hiis civitatibus, videlicet Posen, Vratislavia aut Francofordia ad Oderam pro loco non inconveniens futura. Quicquid autem hac etiam in re Regie Vestre Dignitati facere placuerit, poterit nobis suis etiam litteris significare.

Hec omnia Regie Dignitati Vestre, cui placere et obsequi percupimus et semper parati et animo propensi sumus, reticere noluimus expectabimusque super hiis suas litteras, nobis per hunc nostrum tabellarium transmittendas, quibus nobis suam mentem et intencionem declareret, secundum quam nos conformare et ulterius de his negotiis disponere valeamus. Datum apud Neuburgum Danubii, anno Domini MDXXXVII.

Otto Henricus etc. Palatinus subscrapsit.

Annerum III:

Exemplum litterarum Sacrae Maiestatis Regiae Poloniae ad Illustrissimum Principem Comitem Palatinum Rheni etc.

Illustrissime Princeps et Domine, Consanguinee noster Charissime.

Accepimus Illustrissimae Dominationis Vestre literas, quibus declarat nobis, quid ad postulationem nostram apud Illustrissimum Principem

Dominum Fridericum, Comitem Palatinum Rheni et patruum suum, in negocio pacificandae Daniae Regni effecerit. Et ita quidem declarat, ut et responsum, quod ea in re ab Illustrissimo Domino patruo suo habuit, in scripto nobis miserit. Pro quo benevolentи officio agimus Illustrissimae Dominationi Vestrae gratias, relaturi illud ei nostra vicissim gratificatione amica.

Grata equidem et accepta est nobis ^{a)}ea animi facilitas,^{b)} quam Illustrissimus Dominus Fridericus, patruus Illustrissimae Dominationis Vestrae, accommodat in admittenda tractatione pacis inter se et adversarios suos, cum quibus de iure Regni Daniae et Norvegiae contendit. Illa tamen nescimus, an ita nunc, sicuti ante licuisset, uti in concepto negocio poterimus. Namque et siletur ea in re perhenniter ab adversa parte et Illustris Princeps Dominus Albertus in Prussia Dux etc., nepos noster charissimus, ad nos scripsit eum, qui debuisset de iure Regni arbitrio amicorum se submittere, Regem Daniae renunctiatum et coronatum in hanc diem esse. Quare cum sit iam aliis eius negotii status, postulamus ab Illustrissima Dominatione Vestra, ut boni consulere cum Illustrissimo Domino patruo suo velit, quod ad praesens eius rei,^{c)} ut cupiebamus, ad concordiam promovendam potestatem nobis facere non possumus. At ubi posthac per adversae partis, utcunque hoc iam rerum statu, significationem licebit nobis ad hanc concordiam quamcunque adferre operam et intercessionem, Illustrissima Dominatio Vestra persuadere sibi debet nos publici boni causa nostro studio concordiae rationibus non defuturos, neque commissuros, quin id, quicquid deinceps ea in re ad nos deferetur, ad Illustrissimam Dominationem Vestram perscribamus. Cui bonam valetudinem et prolixam felicitatem precamur. Datum etc.

a)-b) *in margine.*

c) *verba: eius rei supra lineam scripta sunt.*

z) *sic in ms.*

N. 168.

Cracoviae, 8.X.1537.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de ducis domum reditu gaudet; pro mediatione ad ineundam amicitiam
cum rege Daniae [Christiano III] agit gratias; de bello cum Valachis
nuntiat.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Fuit nobis id cognitu iucundum, quod Illustritatem Vestram ex literis
illius salvam ad suos revertisse accepimus, cui felicia precamur omnia.

Sed et illud valde nobis gratum accidit, quod Serenissimi Daniae Regis amiciam tanto studio nobis conciliare conata est, cuius talem in nos animum libenter amplectimur, omnibus amiciciae officiis cum Maiestate eius certaturi.

Quod vero Illustritas Vestra certior a nobis fieri postulat de successu rerum nostrarum in generali ista bellica expeditione, in eo quoque agnoscimus studium illius erga nos minime vulgare. Multa quidem ceciderunt contra animi nostri sententiam, sed nos eo, quo debemus, forti constante animo ea ferimus, quin etiam Deo gratias agimus certissimumque hoc illius in nos misericordiae argumentum esse putamus, quod cum nonnihil nos contristatos voluerit, finem tamen et quasi catastrophem huic fabulae omnium spe et opinione tolerabiliorem imposuerit, ita ut, quae nunc sunt tempora, non gravissimo incommodo fatorum invidia defuncti esse videamur. Optamus Illustritatem Vestram bene valere. Cracoviae, die VIII Octobris, anno Domini MDXXXVII, Regni vero nostri anno XXXI.

^{a)} Commissio Sacrae Regiae Maiestatis propria.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 169.

Cracoviae, 8.XII.1537.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de regundis finibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum
Prussiae.*

Vest. sigill. I.

H B A, B 1, K. 297.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Simul atque litterae nobis allatae sunt Illustritatis Vestrae, misimus illico ad Consiliarios Magni Ducatus Lithuaniae, quando quidem haec ipsa hyems constituta est regendis finibus Lituanorum et Livoniensium, ut ne quid ei rei morae interponerent, terminisque declaratis facerent nos cerciores, quo certum aliquem diem Illustritati Vestrae praefinire possemus, quo eiusdem Lithuaniae Prussiaeque fines terminare licet. Quare ab Illustritate Vestra postulamus, ut exiguum istam moram boni consulat, dum quid cum Livoniensibus actum sit, resciamus. Nam ubi cum illis fuerit negotium confectum, semota omni cunctacione, Illustritatis Vestrae desyderio satisfacere conabimur. Optamus Illustritatem Vestram longum salvam et foelicem esse. Datum Cracoviae, VIII Decembris, anno Domini MDXXXVII, Regni vero nostri anno XXXI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 170.

Cracoviae, 4.I.1538.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

*postulat iustitiam de praedonibus, subditis suis, in Prussiam elapsis;
eandem iustitiam facere promittit de praedonibus ex Prussia fugitivis;
contra querelas ducis de villis suis vehementer protestatur.
(m.p. reginae subscriptum).*

Sigill. X.

(Extat etiam versio germanica).

H B A, B 1, K. 297.

N. 171.

Cracoviae, 22.I.1538.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro fratribus Roguski, qui bona sua Vilkian in Ducatu Prussiae curae
capitanei Ilavensis commiserunt, et nunc ea recuperare non possunt.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 297.

N. 172.

Petricoviae, 13.III.1538.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de profugis colonis ex terris Lomzensi et Visnensi.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 297.

N. 173.

Cracoviae, 22.VI.1538.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Matthia Grabski, cui Matthias Szmolnik duodecim sexagenas certi
debiti reddere non vult.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 297.

N. 174.

Cracoviae, 5.VII.1538.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Andream Branth, ducis servitorem, qui citatus iudicii diem obire non
potuit, excusat.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 175.

Cracoviae, 13.VII.1538.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Iacobo Szolcz, cive Caunensi, cui Hieronymus Freuse et eius socii,
cives Regiomontani, duas naves cum lignis, vulgo wayncross nuncu-
patis, arrestarunt.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 176.

Cracoviae, 21.VII.1538.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit permultas pro canibus, ad venationis usum magnopere aptis.
(m.p. regis subscriptum).
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 177.

Cracoviae, 6.XI.1538.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio limitum inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum
Prussiae.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 178.

Cracoviae, 11.XI.1538.

*Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
duos equos per aulicum suum Hieronymum Korycki (in ms. Coriczki)
duci dono mittit.
(m.p. regis subscriptum: Sigismundus Secundus Rex subscrispsit).
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 297.*

N. 179.

Cracoviae, 7.I.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Goliński, qui ducem offendit, ut a fidei sponsione se coram
duce sistendi liberetur.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 298.*

N. 180.

Cracoviae, 9.II.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Dorothea Paczkowska, quae per vim ad ineundum matrimonium
coacta est.
Sigill. II.
(Annexum: petitio patrui Dorotheae Paczkowska).
H B A, B 1, K. 298.*

*Sigismundus etc.
Illustris Princeps, Domine, Nepos Charissime.*

Delatum est ad nos in querimonia nomine Nobilium Andree Paczkowski de Zbans aliorumque amicorum suorum, quomodo Episcopus Pomesaniensis,¹⁾ Capitaneus Noydeburgensis, Proconsul et Consules Dialdovienses Nobilem Doroteam Paczkowska, consanguineam eorum, cathena in collum eius coniecta ad ineundum matrimonium sine ipsius consensu et amicorum suorum requisitione cum homine ignoto et plebeio violenter coegerunt. Quae cum de vinculis emissâ fuisse, thorum eius declinans, clam discessit et in hac violentia ad amicos suos confugit. Quare bona ipsius Doroteae mobilia perinde et immobilia, in auro et argento, arrestata sunt. Preterea centum florenos, quos in deposito apud Proconsulem

Dialdoviensem habuit, eidem coacto marito eius idem Proconsul extradidit, cum non mediocri ignominia et detimento prefatae virginis Doroteae.

Quae omnia et singula premissa ipsi nobiles se edocere testimonio sufficienti offerunt. Proinde Illustrati Vestrae scribendum ea in re duximus affectantes, ut prefatae Doroteae virginis bona arrestata et viro eius asserto extradita restituere sine aliqua excepcione et difficultate mandet et de matrimonio coacto absolvere faciat, aut saltem ad cognitionem iudicii ecclesiastici nostratis remittat et remittere committat. Factura rem officio suo aequam et nobis gratam. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae, die IX Februarii, anno Domini MDXXXIX, Regni nostri XXXIII.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

1) *Speratus.*

Annexum:

Illustrissime Princeps et Domine, Domine Clementissime.

Humilime precor Vestram Illustrissimam Dominacionem, dignetur me gracie exaudire in maximis iniuriis Nobilis Dorothee Paczkowszka, filiastre mee, que ipsi sunt facte in oppido Dzyaldow per Reverendissimum Dominum Episcopum et per ceteros Capitaneos Vestre Illustrissime Dominacionis, ibidem protunc in Dzyaldow existencium,²⁾ et per Proconsulem et ceteros complices eius eiusdem civitatis Dzyaldow, per Comisarios et subditos Vestre Illustrissime Dominacionis.

Hec est iniuria, Illustrissime Princeps. Domini isti superius nominati acceperunt violenter filiastram meam ad arcem Dzyaldoviensem, pauperinam et orphanam. Compellerant²⁾ eam, ut contraheret matrimonium cum quovis pannifactore, absque scitu et voluntate nostra Illa, tanquam virtuosa et tanquam ista, que semper fuit in obediencia nostra, aserebat, quod: ego non sum iuris, sed sum in potestate patrui mei et aliorum amicorum ipsius patrui mei, et sic peto humilime Vestras Dominaciones, dignemini me propter Deum Omnipotentem liberam facere ab hoc matrimonio. Dominus Episcopus nihil curans peticiones ipsius, iusit eam sacerdoti violenter copulari in matrimonium. Illa nullo modo consentire voluit, et catenam imponebant super collum eius. Dominus Proconsul Dzyaldoviensis cum ceteris suis complicibus tradidit eam dicto pannifactori violenter, cum ceteris suis complicibus. Pecunias vero, argentum, vestimenta et omnia mobilia, quecunque habuit, tanquam pauperima orphana, ipse Proconsul accepit.

Nos tamen licet bene inteligentes Vestram Illustrissimam Dominacionem esse Dominum et amatorem iusticie, existentes subditi Sacre Regie Maiestatis, nolumus obmitere eandem, proposuimus hanc iniuriam coram Sacra Maiestate Regia. Ubi Sua Magestas Serenissima nobis litteras intercessionis extradere iussit ad Vestram Illustrissimam Dominacionem, in quo non dubitamus, quod Vestra Illustrissima Dominacio, tanquam Dominus clementissimus, intelligens iniuriam filiastre nostre pauperime et orphane, quam nos in maximo dolore cordis nostri Vestre Illustrissime Dominacioni proponimus. Dignetur id facere, ut de hoc coacto matrimonio liberam faciat et omnes res ipsius accepte restituantur, humilime petimus tanquam Dominum nostrum clementissimum. Nam, Illustrissime Princeps,

hoc est ius divinum et regula iuris, nupcias non connubatus,^{z)} sed consensus facit, sed quando ibi non fuit consensus, ergo matrimonium fieri non potuit, quia matrimonium est sacramentum Ecclesie, ideo eius ordinatio et dispositio debet esse libera et non compulsa, et ideo ex istis legitimis rationibus petimus humilime Vestram Illustrissimam Dominationem, ut res ipsius accepte restituantur et de coacto matrimonio liberetur.

^{z)} sic in ms.

N. 181.

Cracoviae, 13.II.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut extradantur profugi Alexandri Ilowski (Ilowski).*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 182.

Cracoviae, 15.II.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Thoma Woyna, qui habet certam actionem iuridicam cum Stanisla
Schwalina ratione bonorum Thurowo.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 183.

Cracoviae, 22.II.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Nicolao Niszczycki, palatino Belsensi, ut colonos profugos ad eum
redire iubeat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 184.

Budae, 3.III.1539.

Isabella regina Hungariae

Alberto et Dorotheae in Prussia ducibus

pro gratulationibus gratias agit, de sua coronatione eos certiores reddit.
(m.p. reginae subscriptum).

Sigill. XIV.

H B A, B 1, K. 298.

N. 185.

Cracoviae, 4.III.1539.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

epistola curialis, per Nicolaum a Gadendorf missa.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 298.

N. 186.

Cracoviae, 4.III.1539.

Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

epistola curialis, per Nicolaum Gadendorf missa; gratias agit pro equo.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 298.

N. 187.

Cracoviae, 5.III.1539.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

delata a Gadendorf et Nibschtitz accepit; petit nomina malefactorum,
qui in Prussiam Dualem irruperunt, quos punire promittit; de
componendis differentiis limitum inter Magnum Ducatum Lithuaniae
et Ducatum Prussiae; de moneta adulterina in terris Prussiae Regalis;
de negotio Brandenburgensi in Hungaria. de rumoribus ad Ordinem
Theutonicum spectantibus.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Quae nobis nomine Illustritatis Vestrae Generosi Claus, Illustritatis
Vestrae a cubiculo, et Nicolaus Nipschicz, aulicus noster, detulerunt,
aceperimus. In primis quod Illustritas Vestra nobis et filio nostro aman-
tissimo precatur incolumentem et secundos successus in omnibus, id

ipsum nos vicissim Illustritati Vestrae perinde et Illustri Dominae Duci, coniugi Illustritatis Vestrae, reprecamur.

Quod Illustritas Vestra de nostra egritudine doluit, eidem ingentes gratias agimus et habemus de tali tantoque erga nos affectu. Porro quod Illustritas Vestra ad nos deferendum duxit, quomodo quidam homines protervi ex quodam oppidulo Lituanico ad fines Ragneti et Insterburgi, non pridem locali cepto, in ditionem Illustritatis Vestrae irruendo, ausu plus satis temerario aliquod curias exurendo, homines eiusdem pariter cum facultatibus eorum abduxerunt, quod nos non equo animo ferimus. Sumus parati scribere ad Officiales nostros, cum nobis illos Illustritas Vestra ex nomine describet, demandabimusque cum illis, quos causabitur, iusticiam sine aliqua excepcione ministrari et damna illata resarcire.

Quatenus ad Commissarios designandos ad componendas differentias limitum inter Illustritatis Vestrae dominia ex una, et Magni Ducatus Lituaniae ex altera partibus, scripseramus Consiliariis Ducatus Lituaniae ea in re, sed non erat illis integrum, ut una convenissent. Atqui propter illis Dietam indicturi sumus, in qua eciam super negotio limitum tractaturi sunt. Et cum inter se convenient, quo tempore ad huiusmodi limites venturi sunt, tunc nos certiores facient. Id quod Illustritati Vestrae tempestive significare non pretermittemus.

Litteras nostras ad Capitaneos nostros Schtumensem et Graudnicensem dedimus, et alios Prefectos in confinibus Mazoviae agentes daturi sumus, ut Officialibus Illustritatis Vestrae sint ad capiendos grassatores et malefactores presto, et ut ipsimet de illis poenas dignas et meritas sumant.

In causa Iosti Ludovici Illustri Domino Duci Legnensi¹⁾ scripturi sumus, ut eidem iuris rigorem non prohibeat, sed ministrari cum materna²⁾ Ioanne Szvarcz et aliis eius notae faciat, quos ipse Iostus Suae Illustritati deferet, dummodo edocti fuerimus, cui id litterarum in manus dandum erit.

De moneta adulterina, quae in terris nostris Prussiae et aliis finitimis locis in frequenti usu est, inituri sumus rationem, qua id genus malo obviare valeamus.

Negotium Illustris Domini Georgii Marchionis Brandenburgensis, Ducis in Prussia, fratri Illustritatis Vestrae, Oratoribus nostris euntibus cum Serenissima Domina Isabella Hungariae Regina, filia nostra amantissima, in Ungariam diligenter commisimus, ut cum Serenissimo Domino Ioanne Ungariae Rege, filio nostro, de restituendis castris agerent. Commendavimus etiam illi Maiestati, ut Illustritas Vestra nos litteris suis peciit, adolescentem, non longe a Nandoralba captivum apud quendam Thurcum, ut opera illius Maiestatis ex captivitate liberari possit.

Rumores simul ac comminationes, partim ex Flandria, partim ex aliis Germaniae locis de Ordine Theutonico ad aures Illustritatis Vestrae venientes, intelleximus, quo petit, ne illam, si quid suboriretur, deseremus. Nos Illustritati Vestrae pro debito nostro non sumus defuturi. Si quid porro illos moliri subodorabit, nos cerciores facere non obmittat, quia mala previsa minus afficiunt. Cum his Illustritatem Vestram, simul cum Domina coniuge sua, rectissime valere optamus. Datum Cracoviae, die quinta Martii anno Domini MDXXXIX, Regni nostri anno XXXIII.

Ex commissione Regiae Maiestatis propria.

2) sic in ms.

1) Fridericus II.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*periculo Turcico et Tartarico non solum Regno Poloniae, sed terris
etiam Prussiae imminente, ducem ad opem, si necessitas postulaverit,
ferendam paratum esse admonet hortaturque, ut et alias Germaniae
principes, sibi familiaritate coniunctos, ea de re praemoneat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Non est nobis dubium, quin vel amicorum literis, vel ipso etiam rumore nuncio cognoverit Illustritas Vestra, quam gravem vicinum nacti simus anno proximo superiore in Valachia, cuius bonam partem ipse Thurcarum tirannus occupavit et terrae, quae fuit reliqua, praeposuit alumnum quandam suum, qui se Valachum quidem profitetur, sed cuius sectae sit, non satis certum habemus, utcunque non alienum se esse a christiana religione videri velit. Nobis quidem cum Thurcarum tyranno bellum nullum est indictum, sed vicinitas tamen eius suspecta nobis est, ita ut vacuo a cura esse animo non possumus, cum eum in ipsis Regni nostri faucibus validissimo cum exercitu praesentem futurum certum habeamus.

Quis est qui praestare queat, qui minus in nostram ditionem potius, quam alio se immittat. Maiore nos nunc, quam antea, cura et vigilantia pro Regni nostri salute et incolumente excubare oportet. Habemus exploratores nostros apud Caesarem Thurcarum, qui diligenter odoorunt, quid ibi rerum agatur, atque ea, quae aguntur, omnibus vestigiis indagata ad nos afferant. Ex iis unus rediit, qui narrat pontem, quo ripas Danubii superiore anno iunxerat, qua in Valachiam aditus patebat, eundem in locum deportandum eum curasse, ita ut illud iam exploratissum esse queat, quod sit in Valachiam cum exercitu ingressurus. Nam et Serenissimi Domini Ioannis Hungariae Regis, filii nostri charissimi, explorator eadem attulit, nulla in re a nostro discrepans. Atque ut solet Deus miscere laeta tristibus, cum incursionem proxime fecissent in Podoliā Tartari, non parvam eorum manū milites nostri conciderunt. Fuerunt illis Thurcae permixti.

Ex iis captus est quidam non postremae sortis homo. Cum esset de eo quesitum, quid consilii caperet Caesar Thurcarum, quorsum irrumpe insequent aestate statuisse, narravit eum in Valachiam certo ingressurum. Inde in Hungariam irrupturum. Dedisce autem negotium omnibus Tartarorum^{a)} Caesaribus, ut cum ingentibus copiis in Regnum ditionemque nostram invaderent, quo nos difficili et periculo bello distenti Regno Hungariae succurrere non possemus. Videmus itaque Regnum nostrum estate hac non omnino vacuum fore a periculo, vel a metu potius periculi, ac ut ad arcendum impetum Christo opitulante pares esse possimus. Quoniam tamen solet Caesar Thurcarum ad subitos rerum casus et eventus consilia plerumque sua accommodare, neque quicquam ei tuto credi potest, qui non diutius fidem cuique servare consuevit, quam quoad id sua videt interesse, non possumus non anxiō esse animo et sollicito, cum nos et gravi cum Tartaris bello distentos

fore intelligamus, et in ipsis faucibus Regni nostri potentissimi hostis tam validum exercitum futurum videmus, qui, ut ad nos allatum est non incerto rumore, Prussiae, praesertim vero Gedanensi portui, valde dicitur inhiare.

Deus avertat pestem hanc a cervicibus nostris! Erat nobis delibera-tum, ut in iis, quae proxime habuimus hic, Comiciis certa quaedam et stata Regni defendendi^{b)} ratio iniretur, quo ad omnes hostium repentinios impetus excipiendo atque ad arcendam vim, si quae de improviso allata esset, parati ed expediti esse possemus. Ad quam rationem cum perveniri non potuerit, provisum est tamen a nobis, ut nos hostis imparatos non offendat. Sed si maior aliqua vis extiterit, veremur, ut nostris ea viribus arceri queat. Quare hortamur Illustritatem Vestram, cum et addicta Regno nostro sit et nihil nobis separatim accidere posse a se intelligat, ita se paret, ut ad commune incendium restinguendum, si quod de repente eruperit, praesto nobis esse queat.

Qua in re nihil dubitamus Illustritatem Vestram officio suo satis esse facturam, neque solum arctissimae coniunctionis nostrae mutuae, verum etiam communis periculi et discriminis rationem habituram. Non abs re autem eam facturam existimamus, si de periculis iis nostris caeteros quoque Germaniae Principes admonuerit, quos habet sibi familiaritate aliqua implicatos, ut eciam atque etiam secum deliberent, si quod in vicinia exortum fuerit incendium, satius-ne putent illi esse temporis subveniendum, an expectandum ducant pocius, ut in suis ipsorum regionibus latae^{z)} grassetur. Certe Regnum nostrum a Tartaris, a Turcis Germaniae propugnaculum quoddam est et antemurale, cui nisi subvenirent, si forte necessitas aliqua postulaverit, quod Deus omen obruat, eadem illos, quae nos, manebunt pericula. Nos quoque in eandem sententiam scribemus ad eos, quibuscum nobis coniunctio aliqua et necessitudo intercedit. Optamus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Cracoviae, die VIII mensis Marcii anno Domini MDXXXIX, Regni vero nostri anno XXXIII.

c) Sigismundus Rex subscripsit.^{d)}

a) in ms. Tnartarorum.

c)-d) manu propria.

b) correctum in ms. ex: defendendi.

z) sic in ms.

N. 189.

Cracoviae, 17.IV.1539.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de schismate in Germania; mittit legatum ad regem Ferdinandum. Subscriptum: Samuel Macyeiowski D[ecanus] G[nesnensis] et Vicecancelarius.

(2 annexa: Schedula de profugis facinorosis. Litterae ad regem Daniae [Christianum III] a duce transmittenda).

(Adest etiam versio germanica)

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus *etc.*

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Peccatis hoc nostris fieri agnoscamus, ut pluribus nunc nos, qui Christi fidem profitemur, quam unquam antea post hominum memoriam periculis conflictemur, nam qui pacis et dilectionis Deus est, non alia re magis offenditur, quam si a pace sua et dilectione, si ab Ecclesiae unitate recedi videat. Nunc quosdam videre licet, qui tunicam Christi inconsutilem in tot partes dissecant, ut nihil mirum sit, si tot Orbi Christiano undecunque discrimina impendent. Quare praecandus Deus est, ut det nobis non dissensionis, sed charitatis, unitatis et concordiae spiritum, quo eadem omnes sentientes commune istud incendium minore negocio restinguere possimus.

Sed haec brevibus attigisse de Germaniae contentionibus sufficiat. Fuit nobis vehementer gratum, quod Illustritas Vestra spem et expectationem de se nostram non fefellerit, atque ea omnia se pro virili sua prolixe facturam receperit, quae ad nostram Regnique nostri defensionem pertinere putaverit, dummodo nos vicissim terris et illius et nostris Prussiae prospiciamus, nedum illa pro studio erga nos proque officio suo suppecias Regno nostro venire conaretur. Existeret interea aliquis, qui Prussiam bello lacerret, si eam nudam esse praesidiis intelligeret. Nobis vero curae id futurum est. Mittimus nunc insignes Legatos ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem. Iis dabimus negocium, ut de communibus periculis Maiestatem eius admoneant atque hoc agant, ut si, quod Deus omen obruat, periclitanti Regno nostro aut Illustritas Vestra, aut alias quispiam Germaniae Princeps, suppecias latus veniat, tutus interea sit a domesticorum, hoc est christianorum impetu, dum a cervicibus christianorum tantam pestem amovere studet.

Quod vero scribit Illustritas Vestra se aut ipsam ad Comicia, quae proxime in terris nostris Prussiae habebuntur, venturam, aut nuncios suos missuram, hoc quoque nomine gratias illi agimus. Caeterum necesse non putamus, ut ipsa Comicia obeundi labore capiat, per nuncios suos, si id transegerit, abunde nobis satisficerit. Iis itaque dabit negocium, ut omnes vias et rationes diligenter persequantur, quibus, si quae Regno ingruet necessitas, auxilium aliquod non penitendum adferre terre iste possint. Nos vero dedimus in mandatis Consiliariis nostris Prussiae, ut cum Illustritatis Vestrae nunciois in proximo isto conventu pro festo Divi Stanislai Marienburgi colloquantur. A caeteris Principibus Germaniae nihil mundum responsi tulimus. Ubi rescripserint aliquid, faciemus ea de re Illustritatem Vestram certiorem. Ad Regem Daniae de consilio Illustritatis Vestrae scripsimus. Quas litteras opera illius, ut primum facultas fuerit, perferri ad Maiestatem illius velimus. Quam bene et foeliciter valere cupimus. Datum Cracoviae, die XVII mensis Aprilis anno Domini MDXXXIX, Regni nostri XXXIII.

Sequitur schedula de profugis quibusdam facinorosis:

Quod attinet quosdam profugos suos facinorosos, homines, quos sibi cupit tradi comprehensos, ea in re nihil certi nunc respondere possumus. Abest enim Cancellarius noster, qui rem hanc tenet, quo in statu sit, sed per aliam occasionem et de hac et de limitum causa Illustritati Vestrae respondebimus.

Annexum, orig. cum sigillo II:

Sigismundus etc. Serenissimo Principi Domino Christiano, eadem gratia Daniae et Norvegiae Regi, Duci Sleswiensi, Holstacie, Stormariae, Ditmariae, Comiti in Oldenburg et Delmenhorff^{z)} etc., Affini nostro charissimo, salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime Princeps et Domine, Affinis noster Charissime.

Ita Deo visum est, ut proxima superiore aestate vicinum nacti sumus truculentissimum Turcarum tyrannum, cuius potencia cuncto Orbi Christiano valde est formidolosa. Qui itaque sit rerum nostrarum status, facile Maiestas Vestra coniecturam facere potest. Etsi enim nullum cum eo bellum indictum habemus, quoniam tamen ille utilitate sua dirigit omnia, neque diutius pacta servat, quam quoad id sua videt interesse, non possumus non esse solliciti, ne, ut est in proverbio, aliquid nobis mali eveniat propter vicinum malum. Cum praesertim non vanis ad nos rumoribus adferatur eum Prussiae terris inhiare, praecipue vero portui Gedanensi, ex quo cum facilis sit transmissio in omnes prope Christiani Orbis partes, eo si potitus sit, absque ullo magno negocio se tocius maris Dominum fore persuasum habet.

Quarum enim rerum in terris suis summam penuriam et difficultatem patitur, roborum, picis, orarum, sive fluvium nauticorum atque aliarum id genus rerum, ad aedificandas atque ornandas et instruendas naves pertinentium, earum summam copiam in nostris Prussiae et Masoviae terris esse ei inculcatum est. Oportet itaque nos semper in procinctu esse atque omni cura providere, ne quid Regnum nostrum detrimenti capiat propter vicinum tam potentem. Quoniam vero non adeo sumus nobis ipsi ignoti, quin facile istud intelligamus maiorem esse vim Turcarum, quam quae nostris viribus arceri a nobis possit, cogimur undecumque auxilia petere, ab iis praesertim, quorum vel amicitia freti sumus, vel quos iisdem periculis opportunos fore videmus, si quid, quod Deus omen obruat, nobis Regnoque nostro secus accidisset.

De quo numero cum sit Maiestas Vestra, cuius nos animum in nos ex nostro in illam metientes, eam suavissime in nos effusam esse nobis persuademos. Ad quam etiam ingens periculum perventurum esse cernimus, si, quod procul Deus avertat, vicinus illi contingeret hic tam truculentus tamque potens tyrannus, scribendum ad illam duximus atque maiorem in modum petimus, si qua vis hostium existaret maior, quam cui nostris viribus resistere nos possemus, ut ope atque auxilio suo nos ne velit destitutos. Satiusque esse meminerit pro alienis quam pro suis focus pugnare. Integris enim nostris viribus facilius erit vim tantam propulsare, quam si, quod absit, fractae eae sint et imminutae. Haec nos pro mutua amicitia proque communibus periculis fidenter ad Maiestatem Vestram scripsimus, quam una eademque ratione et suis et nostris rationibus prospecturam, neque vulgare aliquod animi in nos sui signum daturam firmiter confidimus. Optamus Maiestatem Vestram diu esse salvam et in columem. Datum Cracoviae, XVII Aprilis anno Domini MDXXXIX, Regni nostri anno XXXII.

^{a)} Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

z) *sic in ms.*

Cracoviae, 6.V.1539.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de falsis rumoribus, iuxta quos legati P.M. [Pauli III], et imperatoris [Caroli V] Cracoviae comitiis interfuisse; de communi ex parte Turcarum periculo.

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine et Nepos noster Charissime.

Accepimus litteras Illustratatis Vestrae aliquanto ante datas, quam nostrae ad illam posteriores pervenissent. Quae scribit de Comitiis hic habitis, ad quae venerint Pontificis, Caesaris aliorumque christianorum Principum Legati, miramur equidem, quis haec ad Illustratatem Vestram somnia detulerit, quae non modo facta, sed ne cogitata quidem sunt. Quae vero scribit de eo, quemadmodum christianis Principibus Caesarea Maiestas bellum inferre cogitat, pactis cum Imperatore Turcarum induciis, longe aliter ad nos perfertur. Verum quid quisque cogitet, nos exploratum habere non possumus. Illud pro certo nobis affirmare licet hac in re sequestris nobis atque interpretibus usum esse neminem.

Consilia Illustratatis Vestrae nobis probantur plurimum atque illis ante aliquanto usi sumus, quam hae illius litterae nobis redditae fuissent. Scripsimus enim ad omnes Principes Electores, ut suam rem tum agi sibi persuaderent, cum proximus paries arderet. Commune incendium communibus viribus facilius restinguui posse longeque satius esse aliena in terra de propulsando hoste consilia iniri, quam expectare, dum tuis ipsius tectis atque agris excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem inferat. In horas responsum ab illis expectamus.

Caetera quoque quae scribit Illustratas Vestra, grata nobis sunt. Deum precamur, ut usus ne sit, sed si usus venerit, fore putamus, ut nos hostis non imparatos offendat. Ac primam quidem in Deo fiduciam collocamus, manus ipsi quoque, cum necessitas postulaverit, admoturi. Optamus Illustratatem Vestram diu esse incolumem et foelicem. Datum Cracoviae, VI Maii anno Domini MDXXXIX, Regni nostri anno XXXIII.

^{a)} Commissio propria Regiae Maiestatis.
S[amuel] M[aciejowski] ^{b)}

a)-b) manu Samuelis Maciejowski.

Cracoviae, 20.VI.1539.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de periculo Turcico; de Achatio Czema, castellano Gedanensi.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Redditae sunt nobis Illustritatis Vestre littere, quibus et amici cuius-dam sui consilium nobis perscribit, et quid ipsi contra visum sit, fuit nobis id vehementer gratum, quod Illustritas Vestra tam amanter nobiscum ea omnia communicaverit, que ad res rationesque Regni nostri in tuto collocandas existimat pertinere. Nondum sunt a nobis singula diligenter expensa. Res est ardua et quae multae deliberacionis indiget, nostra vero valetudo etsi, Deo sit gracia, tolerabilior est nunc, quam fuit paulo ante, nondum tamen ita recreati sumus, ut in graviore aliqua cura et cogitatione mentem nobis defigere liceat. Huc accedit, quod et consiliarios perquam paucos nobis adiunctos habemus, ita ut si maxime etiam firmi essemus, fas tamen non esse putaremus de tanta re preter eorum, quos requiremus, consilium aliquid statuere. Neque enim ii sumus, qui solo nostro iudicio faciendum esse nobis aliquid censeamus. Libenter aliorum sentencias audimus atque ex iis, que nobis maxime accomodata videntur ad rem, qua de agitur, eam potissimum sequimur.

Quare pergit Illustritas Vestra, ita ut cepit, aliorum quoque consilia perquirere, et ea investigata ad nos perscribere ne gravetur. Multi enim multa videre possunt, quodque ab alio est parum diligenter consideratum, id sepe acutius perspicit alius. Nichil est, quod hoc tempore nobis Illustritas Vestra gratius facere possit, quam ut consilia sua his communibus de rebus nobiscum communicet, quae nostris rationibus consulendo suas una stabilit.

Quod usum fructum lacus Drausensis Generoso Achacio Cema, Castellano Gedanensi, concedi per nos postulat, in eo Illustritati Vestre libenter gratificati fuisset, sed cum idem a nobis alii quoque contendenter antea, quam venissent littere Illustritatis Vestre, fuit nobis deliberatum litem hanc dirimere, neque aut hunc aut illum offendere, sed nobis potius ipsis id commodi vendicare, quod alius esset ex hoc lacu percepturus. Videt Illustritas Vestra, que nunc sint tempora. Non est fas ita nos esse dissolutos, ut fuerunt maiores nostri, qui magna fructuum parte Regnum cum privassent, multum nos exhaustire argenti coegerunt, ut que fuerunt per illos hypothecae data, ea redimeremus. Quo plus Regno nostro periculi impendet, hoc elaborandum est nobis magis, ut ne prorsus a pecunia sumus imparati. Feret itaque equo animo Generosus Achacius, qui in Regni nostri commoda, si quo facilius id defendi possit, aliquid nobis ex hoc quoque lacu emolumenti accedere volumus. Fieri potest, ut alio liberalitatis genere exequemus, si quid sibi nunc esse putat diminutum. Sed id tamen alio tempore per occasionem sumus facturi. Audimus etiam Oratorem nostrum iam esse in itinere redeuntem ab Imperatore Turcarum. Cum venerit et declaraverit, quae istic aguntur, id nos etiam Illustritati Vestre perscribemus. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae, vigesima mensis Iunii, anno Domini MDXXXIX, Regni nostri anno XXXIII.

Ex mandato Regiae Maiestatis proprio.

a) Samuel Maciejowski subscrispsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

Cracoviae, 20.VI.1539.

*Sigismundus II [Augustus] rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
nuntiat, quod Achatius Czema, duce ita desiderante, lacum Drausen per
arendam obtinuisse, nisi rex pater eundem lacum arci Mariembur-
gensи applicuisset.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 298.

Cracoviae, 18.VII.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de iniuriis Stanislao Kostka, questori regis in Prussia, in Marienwerder
(Quidzino) a subditis ducis illatis.
(Exemplar in media pagina cum adnotationibus marginalibus manu
Sperati *).*

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Crebro solent ad nos querimoniae multae de iniuriis,^{a)} quas nostri a subditis Illustritatis Vestrae perferunt, deferri. Quas cum nos sarcitas velimus, frustra cedere in hac parte conatus nostros experimur. Nunc qui contra nos^{b)} in oppido Marienwerd facta esse indigna accepimus, silentio apud Illustritatem Vestram praeteriri nequaquam volumus.

Res ita acta dicitur.^{c)} Generosus Stanislaus Costka, Questor noster in Prussia, cum ex bonis suis ad nostra rediret iterque per oppidum Marienwerd faceret, divertit in aedes quasdam, ubi cum equos esse cognovisset aulici Illustritatis Vestrae, statuisse se peracto^{d)} prandio ex eo diversorio alio migrare. Interea bene potum e Sperati convivio^{e)} venisse illuc Illustritatis Vestrae aulicum, Questoris nostri Marienburgensis unum atque alterum famulum graviter sauciasse.^{f)} Cumque is propulsare a se suisque iniuriam^{g)} cum alia ratione non posset, armis cogeretur, concitasse^{h)} Speratum armatam contra se civium manum, ita ut si capitum periculumⁱ⁾ effugere vellet, fuga sibi consulere^{j)} necesse haberet. Interea domum, in qua erant famuli Questoris nostri, fortiter esse oppugnatam,^{k)} cumque illi se strenue defenderent,^{l)} dedidisse se eos tandem fide accepta, quod incolumes exire possent.^{m)} At Speratum contra fidem interpositam,ⁿ⁾ quam cives violare volebant, quosdam ex illis in vincula^{o)} conieciisse detinereque adhuc. Qua de re cum per literas Illustritati Vestrae questus esset,^{p)} Questor noster non potuit obtinere, ut liberi ex custodia^{q)} servi dimitterentur.

Miramur, quod sit ius istud, non esse contentum, quod per vim sauciati sint aliqui, nisi insuper eo ipso nomine penas dent,^{r)} quod non ad extremum occidi sese passi sint.^{s)} Neque id insuper ad iusticiam pertinere arbitramur, ut aliquis ex alienis vel subditis vel servitoribus iusticiam sibi facere debeat.^{t)} Nos vero, si quae eiusmodi iniuria^{u)} infimo loco nato alicui facta esset, ferendum non esse existimaremus, multo minus id ferre possumus servitori nostro, neque cuivis servitori, sed ei, qui in terris nostris Prussiae honoratum^{v)} gerit officium, hanc esse tantam factam contumeliam, in quo violando nos ipsi nobis violati esse videmur.^{w)} Nam Questor noster et familia eius non suorum aliquorum, sed nostrorum negotiorum causa istac fecerunt, peccuniamque nostram curru huc ad nos iussi vixerunt, et proinde non putamus quicquam ad rem pertinere, ut Costka famulos, res, quas vexit, et una se ipsum statuere apud Illustritatem Vestram et una iudicato illius parere debeat.^{x)} Quamobrem ab Illustritate Vestra postulamus,^{y)} ut meminisse velit quid nobis debeat vel propter arctam, qua nos attingit, propinquitatem, vel quod in fide potestateque nostra est authoritatemque nostram agnoscit.^{aa)} Servos Questoris nostri ne diuciis a Sperato in custodia^{ab)} detineri permittat, sed eos liberos ad Dominum suum redire cum tempore^{ac)} velit. Atque damna, vulnera et contumeliam admissam sarciri iubeat, neque paciatur^{ad)} homines nostros similibus deinde iniuriis et contumeliis vexari.^{ae)} Quae dum fecerit, tum nos vicissim quoque de omnibus, quae contra nostros fuerint in querela proposita et probata,^{af)} iusticiam ministrari faciemus. Alioqui si Speratus^{ag)} se in officio^{ah)} non continuuerit et nostris satisfactum^{ai)} non fuerit, dabitus a nobis vicissim opera, ut nemini^{aj)} nostros impune violare liceat, sed audaciae suae meritas quisque^{ak)} penas persolvat. Bene et feliciter valere Illustritatem Vestram ex animo optamus. Datum Cracoviae, die XVIII mensis Iulii, anno Domini MDXXXIX, Regni vero nostri anno XXXIII.^{al)}

- a) hic in margine scripta leguntur verba:
Hic respondet Princeps.
- b) verba: contra nos littera a praedita et linea subducta sunt, et in margine legitur:
a. Contra Regiam Malestatem nihil, neque in civitatis esse solet timor violentiae. Id est, non est verisimile. ff. /Pandectae/. Quod metuendum cavendum est.
- c) verba: Res ita acta dicitur littera b praedita et linea subducta sunt, et in margine legitur: b. Nequaquam ita. Altera igitur pars hic audienda erat, non inaudita commandanda.
- d) verba: statuisse se peracto littera c praedita et linea subducta sunt, et in margine:
c. Vesperi bene sero hospitium animo pernoctandi ingressus est.
- e) verba: bene potum e Sperati convivio littera d praedita et linea subducta sunt, et in margine: d. Bene sobrium, non e convivio, sed frugali cena dimissum.
- f) verbum: sauciasse littera e praeditum et linea subductum est, et in margine: e. Hic respondeat idem aulicus.
- g) verbum: iniuriam littera f praeditum et linea subductum est, et in margine: f. iniuria fugiendo non propulsatur.

- h) verbum: concitasse littera g praeditum et linea subductum est, et in margine: g. Non concitavi.
- i) verba: capitis periculum littera h praedita et linea subducta sunt, et in margine: h. Nullum imminebat capitis periculum.
- j) verba: fuga sibi consulere linea subducta sunt, et in margine: Interim cum ego dormirem.
- k) verbum: oppugnatam littera i praeditum et linea subductum est, et in margine: i. Non oppugnatam verissimum est.
- l) verbum: defendenter littera k praeditum et linea subductum est, et in margine: k. Offensio non est defensio.
- m) verba: fide accepta, quod incolumes exire possent littera l praedita et linea subducta sunt, et in margine: l. Non est factum.
- n) verbum: interpositam littera m praeditum et linea subductum est, et in margine: m. interposita nulla.
- o) verba: in vincula littera n praedita et linea subducta sunt, et in margine: n. Neutrum in vincula.
- p) verba: questus esset littera o praedita et linea subducta sunt, et in margine: o. Ita

- questus est, ut Illustrissimus in ea causa cognoscere dignaretur, quem postea iudicem receperit, tamen nullo gravamine oneratus.
- q) *verba*: ex custodia *littera p praedita et linea subducta sunt, et in margine: p*. Non in custodia existentes.
- r) *verba*: insuper eo ipso nomine penas dent *linea subducta sunt, et in margine: Vigilantes, non dormientes hic respondeant.*
- s) *verba*: occidi sese passi *littera q praedita et linea subducta sunt, et in margine: q*. Nemo hoc tentavit, aulico Illustrissimi tanquam occiso facente ad fugientibus Dominio Kostka et his, qui cum eo pedestres erant. Quae autem omnia facta sunt, me alium dormiente, et cum adhuc nullus civium adesset. Ergo quid hactenus audivimus ex ore Domini Kostka male narrantis, veritate vacant.
- t) *verba*: iusticiam sibi facere debeat *littera r praedita et linea subducta sunt, et in margine: r*. Cognoscendum hic fuerit, quid iuris.
- u) *verbum*: iniuria *litteris rr praeditum et linea subductum est, et in margine: rr*. Si illa vero iniuria facta est, a me certe non est facta. Cum enim Dominus Kostka pro fuderet, ego adhuc dormivi.
- v) *verbum*: honoratum *littera s praeditum et linea subductum est, et in margine: s*. Utinam honeste.
- w) *verba*: nos ipsi nobis violati esse videmur *littera t praedita et linea subducta sunt, et in margine: t*. Hic Regia Maiestas ex se partem facit et me Malestatis reum, indicta causa.
- x) *verba*: ut Costka... parere debeat *littera u praedita et linea subducta sunt, et in margine: Actor forum rei sequatur. Et forum ratione delicti sortiri vulgata sunt, hec autem irritanda.*
u. Hic Principis interest respondere.
- y) *verbum*: postulamus *linea subductum est, et in margine: Meminerit Rex nihil postulan-*
- dum esse contra ius naturae, contra precepta Dei et contra iura Regni sui.
- aa) *verba*: quid ut meminisse velit... agnoscit *littera x praedita et linea subducta sunt, et in margine: x*. Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
- ab) *verba*: in custodia *littera y praedita et linea subducta sunt, et in margine: y* Nunquam in aliqua custodia.
- ac) *verba*: cum tempore *supra lineam scripta sunt*.
- ad) *verba*: Atque damna, vulnera... paciatur *littera z praedita et linea subducta sunt, et in margine: z*. Hic non auditus, neque convictus ego condemnor. Sarciri scilicet.
- ac) *verbum*: vexari *litteris aa praeditum est et linea subductum, et in margine: aa*. Utinam illi non vexent nostros, sed nos impune ab illis.
- af) *verba*: et probata *litteris bb praedita sunt et linea subducta, et in margine: bb*. Quae iam habentur pro adversa parte probatisima.
- ag) *verbum*: Speratus *litteris cc praeditum est et linea subductum, et in margine: cc*. Non auditus tamen, neque convictus.
- ah) *verbum*: officio *linea subductum est, et in margine: officio insolentiam Polonorum boni consulendo.*
- ai) *verbum*: satisfactum *litteris dd praeditum est et linea subductum, et in margine: dd*. Per me condemnatum.
- aj) *verbum*: nemini *litteris ee praeditum est et linea subductum, et in margine: ee*. Hic Nemo ego Speratus sum.
- ak) *verbum*: quisque *litteris ff praeditum est et linea subductum, et in margine: ff*. Rursus hic Quisque ego Speratus sum. Factum igitur est de Sperato.
- al) *verba*: Regni vero nostri anno XXXIII *litteris gg praedita sunt et linea subducta, et in margine: gg*. Utinam Nestoreos annos Rex supereret.

In margine superiore alia manu: Paulus Speratus.

Sub textu primae paginæ:

Vim cum repulisset, nam Accursii, Bartoli et Baldi unanimi consensu non est expectanda percussio, sed sufficere arbitrantur armorum terrorem. Imo si praecedant, inquit Bartolus, signa et actus manifestae voluntatis nocendi. Item Iason plus scripsisse Baldum asserit, licere scilicet adversarium preveniendo cedere, quando videt praeparamenta ad offendendum, et ita ex facto iudicatum. Hinc Baldus etiam alapam gladio reppellere non illicitum prodidit, ut, si ex isto vulneratus ceciderit, occisi non teneri. Quod Ang. in malef. Alex. et Aret. libris responsorum probat, non est qui contradicat. Ratio, quod post receptam percussionem repercutere

vindicta est, non defensio. Quippe defensionis est prevenire, cavere, protegere, resistere, ne vapuletur.

Haec glossa in ultima pagina sexterni ita prosequitur:

Cicero pro Milone dixit: Gladium ad occidendum hominem ab ipsis legibus porrigi se defendantibus.

Extat divi Gordiani constitutio: Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non teneatur homicidii. Ulpianus: Qui ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse. Observa: Ibi venientem, hic petentem, non expectata percussione, occisum. Et in ipso repellendi actu iure occisum. Neque Gordianam distraxisse, armatus vel inermis veniat, sed gladio iure occisum. Et qui gladio occidit, dicitur vim repellere. Neque enim una etiam Accursii ipsius sententia est. Quod expectari non debet, ut vel digito de pulsu ageret, sed omni nixu et arte. Vitanda iniuriosa percussio.

Motus et rixa instantis periculi tollit spacium consultius deliberandi.^{a)}

Accensus furore iracundiae non potest modum tenere, id est quasi C. quando...^{b)} se sine indicio vindictae (*aliqua verba non leguntur*).

In dorso: Literarum Serenissimae Regiae Maiestatis ad Illustrissimum Ducem Prussiae pro Generoso Domino Kostka etc. adversum me scriptarum exemplum.

Responsio mea marginalis ad easdem (*eadem manu ac notae marginales, id est manu episcopi Sperati*).

a) sequuntur 4 verba, quae non leguntur.

b) verbum non legitur.

* Nota archivistica: NB. Mit Randbemerkungen des Bischof Speratus von Pomesanien versehen.

N. 194.

Cracoviae, 24.IX.1539.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Armenis Leopoliensibus, quorum merces, cum a recto itinere aber-*
rassent, detentae sunt.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Deplorarunt apud nos infelicitatem suam Armeni nostri de Leopoli, Golubko, Iwasko Lodzinkowiae, quod, cum a recto itinere aberrassent ac per devia quaedam profecti essent, merces eorum Illustritatis Vestrae nomine sint detentae, quasi data opera professi non sint atque hoc egerint, ut vectigal eis solvere necesse non esset. Quod ipsi institui^{z)} sui fuisse negant. Horum nos precibus adducti, ab Illustritate Vestra magnopere postulamus, ut in gratiam nostram eis restitui faciat ea, quae sunt

adempta. Rem et aequam et nobis gratam factura. Optamus Illustritatem Vestram quam diutissime esse incolumem et foelicem. Datum Cracoviae, XXIIII Septembris, anno Domini MDXXXIX, Regno nostri anno XXXIII.

a) Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

N. 195.

Cracoviae, 20.XII.1539.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de pace inter regem Daniae Christianum III et regem Romanorum [Ferdinandum], de mediatione et regis et ducis; (in postscripto de vectigalibus).

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Commendamus providentiam hanc Illustritati Vestrae, quae ventura incommoda multo ante prospicit tantumque studii adhibet, ut ea quam longissime a se arcere possit. Verum est, quod dici solet: Aliquid mali propter vicinum malum. Itaque recte et sibi et nobis metuit Illustritas Vestra,^{a)} si quid vicinus et propinquus illi Rex incommodi sit passus, facitque prudenter, quod tanta cura providet, ne Maiestas eius bello laccessatur, quod ex eo ad nostras quoque ditiones aliquid sit periculi redundaturum. Nos vero, cum ipsius Serenissimi Regis Daniae causa, tum certe, quod utrique nostrum ita expedire intelligimus, fecimus libenter, quod petivit a nobis Illustritas Vestra, ut de conciliandis inter se atquae^{z)} in pacem, concordiam et amicitiam reducendis Principibus istis curam susciperemus, cum quae missuri sumus brevi Oratorem nostrum ad Serenissimum Romanorum Regem. Inter alia, quae dedimus ei mandata, non postremum fuit hoc, ut admoneret Maiestatem eius, quo et ipsa se in pacificationem istam interponeret et Serenissimum fratrem suum ad idem faciendum adduceret. Quodsi pax confici non posset, saltem prorogarentur induciae, ne si ipsi inter se Principes christiani digladientur, iucundum preberent Turcarum tyranno spectaculum, atque in spem eum vocent ea, que cogitat in perniciem nominis christiani perficiendi. Speramus profici nobis posse, cum presertim ad Sacram quoque Imperatoriam Maiestatem hac ipsa de re scribi iusserimus. Ceterum nostris quoque in Prussia imperavimus,^{b)} ut vigilent atque in specula sint, vel in procinctu potius, ut si quis facere in terram istam impetum volet, propulsare queant. Et ad proxime celebrandum in Prussia conventum vel per nuntium vel per litteras in illorum consulta communia omnia refferri mandabimus, de quibus nos Illustritas Vestra fecit certio-

res. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae XX Decembris, anno Domini MDXXXIX, Regni vero nostri anno trigesimo tertio.

c) Sigismundus Rex subscrispsit.^{d)}
Ex commissione Maiestatis [Regiae] ^{e)} propria.

Postscriptum:

Quod Illustritas Vestra de auctis vectigalibus queritur, sat scimus, quo tempore fuimus in Litvania, nullam ea de re querimoniam ad aures nostras pervenisse. Neque ex eo tempore quicquam novi institutum fuisse. Quare dedimus in mandatis publicanis nostris, ne aliter exigantur vectigalia, quam qua ratione presentibus nobis in Litvania exigi sine cuiusquam querela solebant, et si quae sunt post discessum nostrum imposita, ea omnia deponantur.

a) *in ms.* Veste.

b) *in ms.* imperasimus.

c)-d) *manu propria.*

e) *hic foramen in charta.*

N. 196.

Cracoviae, 22.XII.1539.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de querimoniis subditorum; de dilata commissione ad reformandos fines.

Sigill. X.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 298.

Bona etc.

Illustris Princeps, Affinis Charissime.

Scribit Illustritas Vestra se persuasum quidem habere negocium de villa Coczicze et prato a subditis nostris ita ad nos delatum esse, sicut scripsimus, sed a subditis suis etiam diverso modo rem accepisse, et eorum relationibus acquiescere neque ab eis discedere, nisi fines aliquando inspiciantur et terminentur. Quod ut hac hyeme fiat, nostram operam petit.

Multa nos argumenta inducunt, ut subditis nostris toties querentibus fidem adhibeamus, nam indies magis ac magis Prutheni in Magnum Ducatum nostrum Lithuaniae serpunt, agros, prata, sylvas occupantes, quod ex pactis et transactionibus suo tempore aparebit. Neque solum in Samogitia, verum etiam versus Grodno officiales et subditi Illustritatis Vestrae finitimi nostris magnas iniurias inferunt, quibus ut inhibeat, opere precium esset. Continemus enim subditos nostros, ut se pacifice conservent, existimantes ea omnia fieri praeter scientiam et voluntatem Illustritatis Vestrae, de qua nobis optime semper policemur et cum qua nichil contentionis et dissidii habere vellemus, pro nostro in illam affectu atque necessitudine. Miramur tamen, quod Illustritas Vestra tantopere sollicitare videtur, ut haec revisio atque reformatio generalium limitum hac hyeme esset, quod Sacra Regia Maiestas, Dominus et coniunx noster

colendissimus, facere non potest, nisi ex Senatus consulto Magni Ducatus sui Lithuaniae. Quae Illustritas Vestra, tanquam affinis et homagialis Princeps, indulgere deberet occupationibus Sacrae Regiae Maiestatis, avunculi sui, quibus in Regno suo distinetur. Quando Maiestas Sua in Magno Ducatu Lithuaniae erit et rem ad Senatum deferet, factura, quod iusti Principis officium et necessitudo ipsa expostulare videbitur. Quod et nos tam libenter, quam quod libentissime videbimus, nostramque operam non gravatim interponemus.^{a)} Bene ac feliciter valeat. Cracoviae, die XXII Decembbris MDXXXIX.

^{a)} Bona Regina subscrispsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 197.

Cracoviae, 8.II.1540.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de iniuriis a Pruthenis civibus novi oppidi Iurborgk illatis protestatio
vehemens.*

Sigill. X.

(Adest versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Bona etc.

Illustris Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem et omne bonum.

Significatum est nobis Vestram Illustritatem litteras ad Capitaneum nostrum in Jurborgk scripsisse, quibus Vestra Illustritas ad querelas nostrorum hominum de officialibus ipsius Vestre Illustritatis factas respondens, factum eorundem officialium suorum excusat ac defendit. Et primum quidem quod ad pastores, pecudum custodes, aliasque incolas novi oppidi nostri, nuper in finibus Lithuaniae locari cepti, attinet, Vestra Illustritas ait officiales suos recte fecisse, quod pastores ipsos, tanquam profugos propriosque Prussiae incolas, captivarunt. Deinde non diffitetur Vestra Illustritas per suos homines pecora nostris hominibus esse erepta, hac de causa videlicet, tanquam in fundo Prussiaco deprehensa essent. Quae tamen pecora nostri homines hactenus non sunt consecuti, quod raptiores pecoris sui nesciant indicare.

Fatetur etiam Vestra Illustritas officiales suos non negare, quod nostros homines capitatis supplicio affecerint, tanquam mellis expilati, et aliorum sine nomine flagiciorum rei fuissent. Postremo scripsit Vestra Illustritas, minas etiam litteris intermiscendo, quod quicumque ex nostris, obmittentes vias veteres usitatas, auderent viis novis ex Lithuania in Prussiam ingredi, quod ea res non sit nostris impune cessura.

Insuper Vestra Illustritas, uti ad nos est perlatum, interdixerit suis, ne ad oppidum hoc nostrum novum sese conferrent, neve cum illis hominibus nostris fora ac negotiationes exercerent.

Ad que ut ex ordine respondeamus: Quod attinet officialium excusationes, nulla tam mala causa esse potest, que non defensionem inveniat. Ait Vesta Illustritas pastores et alios homines nostros captivatos suos esse proprios. At nostri contra officiales aiunt atque affirmant esse nostros, ex Lithuania ortum ac genus suum duxisse seque aliquando in Prussiam contulisse. Nunc posteaquam ex aliena terra ad natale solum revertissent incolatumque sub nostra dizione fixissent, quominus ad nos pertineant, id vero negari nobis non potest, cum ex iure federum inscriptionumque nostri sint ac ad nos pertineant.

Quod ad pecora nostris erepta attinet, dubium adhuc est, in quo fundo, num in Lithuanico an in Pruthenico deprehensa ac intercepta sint, cum adhuc de proprietate et de finibus cognitum non sit neque determinatum. Quod si etiam in fundo Prussiaco deprehensa fuissent, non statim equum fuit nostros homines peccore ipso despoliari et alienum sibi usurpare, cum in propinqua vicinia vitari id non possit, ut pecus errabundum in vicinos fines vicinumque fundum non ingrediatur. In quo Illustritas Vesta, si iura bone vicinitatis implere studuisset, mox quod alienum esset, suapte sponte, etiam sine exquisita scrutatione, restitu mandavisset.

Quod vero ad eos attinet, qui pretextu mellis expilati supplicio capitatis affecti sunt, et hic liquet cum nostris indebite actum esse. Etenim si quid nostri deliquerant (quod tamen dubium est), deferendi erant ad officialem nostrum pro iusticie administratione. Quam nemo sibi ipsi pro arbitrio suo, sine legitimo iudicio, ex homine presertim alieno sumere debet.

Quod item ad vias et liberum ex utroque dominio transitum securamque ultro citroque commeandi rationem attinet, et in hoc non satis amice agi contra nostros videmus, precipue cum hactenus certe et patentes viae per Vestram Illustritatem eiusque officiales non sint demonstrare nec publicate. Proinde hoc pretextu obmissarum viarum publicarum nostros capi ac violari debere, aequo animo ferre non possemus, cum ex vi foederum et inscriptionum liber, tutus et securus transitus utriusque dominii hominibus utrinque patere debeat.

Prohibitio etiam, ne homines Prutheni ad novum hoc nostrum oppidum negociatium eant, hec etiam, ut alia omnia suprascripta, fiunt mere non modo contra iura bone vicinitatis, sed etiam adversus iuramenta, adversus foedera mutua, adversus pacta et inscriptiones pacis perpetuae, a quibus sine gravi perturbatione et periculo discedi non potest. Quocirca, ne oporteat aliquando veterem tragediam renovari, hortamur ac monemus Vestram Illustritatem, ut nostros pastores et peccoris custodes ex captivitate solvi ac dimitti, pecora ablata nostris reddi iubeat, pro occisis necatisque indebite nostris hominibus solutionem impendi, vias certas rectasque versus oppidum hoc nostrum usque ad fines Lithuaniae designari et cum scientia nostri Capitanei, qui hoc ipsum facturus est in nostra dizione, publicari faciat, commertia suorum cum nostris non interdicat, neque nostros violari captivarique in sua dizione permittat, securitatem etiam nostris in suo dominio esse velit, iuraque cum affinitatis, tum bone vicinie, federumque ac pactorum iuratorum servet servarique a suis precipiat. Mutuum a nobis Vesta Illustritas habitura. Quam sanam et felicem esse desideramus. Cracoviae, die VIII Februarii MDXXXX.

a) Bona Regina subscrispsit.^{b)}

a).b) manu propria.

N. 198.

Cracoviae, 22.II.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum pro Ioanne Goliński.*

(Samuel [Maciejowski] ep. Chelmensis vicecancellarius Regni subscrpsit)

Sigill. II.

(Adest versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

N. 199.

Cracoviae, 28.II.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de differenda regulatione finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et
Ducatum Prussiae.*

(Samuel [Maciejowski] ep. Chelmensis vicecancellarius Regni subscrpsit)

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

N. 200.

Cracoviae, 11.III.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Fabiano a Maulen, ut bona Ilavensia, quae dux ei ad vitam concessit,
filio ipsius dari permittat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 201.

Cracoviae, 19.IV.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de epistola ad regem Daniae [Christianum III] duci commissa et ab eo
eidem regi non transmissa.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

*Etsi alias scripsimus, nunc iterum ab Illustritate Vestra postulare
non dubitamus, ut cum ad manus Illustritatis Vestrae litere ad Sere-*

nissimum Dominum Daniae Regem a nobis inscripte tradite fuerint, eas velit ad Maiestatem illius transmittere. Scribimus enim Maiestati eius nonnulla, que et nostra et illius Maiestatis scire plurimum interest. Factura Illustritas Vestra rem in hoc nobis gratam. Quam felicem esse optamus. Datum Cracovie, 19 Aprilis, anno Domini MDXXXX, Regni nostri anno XXXIII.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

a)-b) *alia manu.*

N. 202.

Szydłów, 27.IV.1540.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de promissis duci auxiliis e Prussia Regali et Magno Ducatu Lithuaniae
contra hostes incursores.*

Sigill. II.

(Adest versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Vigilantia et providentia haec Illustritatis Vestrae nobis plurimum probatur. Etenim praevisa iacula minus ferire solent, et saepe malum vitatur, dum ei tempori occurritur. Caeterum, quod nostrum quoque consilium et auxilium implorat Illustritas Vestra, illud sibi nunquam defuturum esse sciatur. Scribimus ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiae, ut omnes in procinctu esse iubeant, quo ab equis et ab armis parati sint, si quis ex improviso hostium impetus in Prussiam factus sit, ac cum Illustritate Vestra socia arma iungant.

Quod terras nostras attinet, Masoviam et Cuiaviam, cum decretum sit in Comitiis, ut ex singulis terris certus militum numerus scribatur, ipsi sumus opus habituri pro tueri Regni nostri finibus. Sed nihilominus faciat nos Illustritas Vestra certiores, quantum velit militum numerum ex iis terris, nos, quod fieri poterit, Illustritati Vestrae non negabimus. De Lituanis vero nihil nunc quod respondeamus habemus, quandoquidem ad eos nobis nunc iter est, communicato cum eis consilio, quantum fieri poterit, Illustritatis Vestrae rationibus conabimur providere. Hoc Illustritati Vestrae curae esse velimus, ut quas in manus illius ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiae litteras misimus, eas primo quoque tempore preferendas curet. Iam enim tempus instat, quo sunt ex mandato nostro Comitia habituri. Optamus Illustritatem Vestram bene valere. Datum in civitate nostra Schidlow, XXVII Aprilis, anno Domini MDXXXX, Regni nostri anno XXXIII.

a) Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 203.

Vilnae, 31.V.1540.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum conqueritur de iniuriis oppido Jurborgk illatis.

(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 298.

N. 204.

Vilnae, 5.VI.1540.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de intercessione regis apud Carolum V, ut proscriptio a duce tollatur.

Sigill. II.

(Adest versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Quod in hunc usque diem non est abrogata proscriptio Camere Imperialis, id non nostra culpa accidisse recte scribit Illustritas Vestra, a qua nos admonitos esse meminimus, ut, si quando Legatum aliquem nostrum ad Caesaream Maiestatem misissemus, ei mandata daremus de proscriptione abroganda. Caeterum per litteras, ne id a Maiestate eius postularemus. Cum itaque nondum aliquis per nos Orator sit missus, fatemur nihil ea de re nos egisse, sed quando ita urget Illustritas Vestra, quando provinciae istius rationes id tantopere postulare videmus, missuri brevi sumus volucrem nuncium cum litteris nostris ad Caesaream Maiestatem et una negotiorum apud illam Serenissimae coniugis nostraegestori mandabimus, ut instet diligenter, quo ex sententia res ista conficiatur, et primo quoque tempore responsum ad nos perferendum curet.

Quare bono animo sit Illustritas Vestra. Facile enim nos quod volumus obtenturos apud Maiestatem Caesaream speramus. Eruntque nobis haec Illustritatis Vestrae postulata ita, ut esse debent, curae maximae. Nam et quid Illustritati Vestrae debeamus, memoria tenemus, et nihil ei separatim a nobis accidere posse intelligimus. Quare de propensa nostra voluntate omnibus in rebus Illustritati Vestrae commodandi nihil dubitet. Non fallemus procul dubio illius de nobis opinionem, neque usquam ei sumus defuturi.

De rebus novis, quas ad nos Illustritas Vestra perscripsit, agimus illi gratias. Convenisse de pace Caesaream Maiestatem cum Serenissimo Daniae Rege gaudemus, ut qui nihil magis cupimus, quam ut in toto Orbe Christiano tranquilla sint et pacata omnia. Valere tandem in prospero omnium rerum statu Illustritatem Vestram ex animo cupimus. Datum Vilnae, V die mensis Iunii, anno Domini MDXL, Regni vero nostri anno XXXIIII.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

a)-b) alia manu.

N. 205.

Vilnae, 5.VI.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
omnibus Ducatus Prussiae consiliariis
promittit omnem auctoritatem suam se interpositurum, ut a proscriptio-
ne liberari possint.*

Sigill. II.

(Adest versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Reverendi, Magnifici, Generosi, Nobiles et Famati, sincere et grata
nobis dilecti.

Quod proscriptionis decretum nondum est inductum et antiquatum,
dolenter ferimus. Neque enim magis Sinceritates et Fidelitates Vestras
alienas esse a nobis existimamus, quam quoscumque alios e medio Regno
nostro, neque minus ex animo earum rationibus prospectum cupimus.
Itaque libenter faciemus, quod petunt Sinceritates et Fidelitates Vestrae,
atque omnem auctoritatem nostram interponemus, ut ab hac proscriptio-
ne liberari possint. Denique omni ope atque auxilio nostro in omnibus
necessitatibus vestris semper Sinceritatibus et Fidelitatibus Vestris praes-
sto sumus adfuturi. Quae ut bene valeant, optamus. Datum Vilnae, V Ju-
nii, anno Domini MDXXXX, Regni nostri anno XXXIII.

^{a)} Ex mandato Regiae Maiestatis proprio.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 206.

Vilnae, 27.VI.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut Stephano et Stanislae Witkowskii (Withkowsczi) profugi restituantur.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 207.

Vilnae, 27.VI.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut chirurgus ducis Rupertus Gockel a Rorpach ultra praescriptum tempus
Vilnae manere possit.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Vilnae, 28.VI.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de profugis reddendis; de limitibus constituendis.*

Sigill. II.

(Adest annexum et versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Queruntur subinde homines nostri ex ordine equestri multos colonos suos in terras Illustritatis Vestrae profugere, neque restitui dominis fugitivos, quoties ab illis, ad quos profugerunt, repetuntur. Quod cum contra pacta fieri videatur, quae cum Illustritate Vestra nobis intercedunt, postulamus ab illa, ut memor pactorum edicat suis, ne quibus fugitivis colonis receptionem dent, neve eos apud se retineant, sed simul ut admoniti fuerint, iis, a quibus profugerunt, eos reddant. Quoniam vero et de vicinorum iniuriis magnae sunt nostrorum hominum querimoniae, eorum, qui terris Illustritatis Vestrae Prussiae sunt finitimi, ad tollendas controversias istas et querimonias opere pretium esse putamus limites constitueret, ut quid suum sit quisque cognoscat, neque ultra septa, quod aiunt, transiliat.

Quare cupimus ab Illustritate Vestra et Iudices Commissarios nominari et diem constitui ad fines regundos, ut nos quoque ad eundem modum nostros designemus, et si aptum ab ea nobisque commodum tempus prefinitum viderimus, ad id eos, ut fines terminent, mittamus. Fecerit Illustritas Vestra rem nobis gratam, neque suis minus quam nostris hominibus usui futuram. Bene valere Illustritatem Vestram optamus. Datum Vilnae, die XXVIII Iunii, anno Domini MDXXXX.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

^{a)-b)} manu Samuelis Maciejowski.

Annexum ad litteras Sigismundi I de die 28.VI.1540:

Gemeine grantzen und termini in Vattschen, so donerstag fur S. Sophiae dess 40. jars^{a)} in peywesen der beuelhaber Matthiae Swidersz von Mazou richters und Jacobi Surnak von Sclutz underrichters gehalten und gehandelt sein worden.

Es haben vil edeleut fur dem gericht geklagt unnd furnemlich die erben von den guttern Cisrki,^{a)} Flesche,^{a)} Conopk Rozinsko und Curcijuij,^{b)} benachpert und begrentzt mit dem^{c)} hertzogthumb Preussen, dass die edeleut in Preussen die grenitz und rhainstein^{d)} (welche^{e)} nicht allein underscheideten ire gutter von den preuischen, sondern auch von den massaurischen) nider gerissen und verworffen haben. Haben derhalben gepetten von rechts und ampts wegen ihnen auffzwlegen, das sie die-

selben wider wollen pawen unnd auffrichten. Wie es dan erkant und inen aufferlegt ist worden.

Derhalben der edle Nicolaus Doliwa mit den edelen Matthia Johanne von Botzk^{f)} und Johanne Modzel von Bielin ist dahin von dem hern hauptman solchs zw besichtigen geschickt worden. Die haben gesehen, das zwischen den guttern Rozinsko, Flesche, Cirske von eynem und zwischen den güttern Curcijuij von dem andern teyl, drey rechnstain oder zeichen^{c)} desgleichen auff^{g)} der andern seiten zwischen den güttern Curcijuij und Conopk Rozinsko zwen raynstein oder zeichen nidergelegt sein warden. Als dann seind sie zw den edeleuten inn Preussen von Rogale kommen, sie gefragt warumb sie solchs gethan haben. Sie geantwort, der hauptman von Piss hab sie es geheisen.

a) *in ms. Flethe.*

f) *Boczki.*

b) *Kurki vel Kurkowo.*

g) *dem andern teyl expunct.*

c) *hic verbum expunctum, quod legi non potest.*

i) *sic in ms.*

d)-e) *add. in marg. die de expunct.*

*) *13.V.1540.*

N. 209.

Vilnae, 30.VII.1540.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

Conradum Truchsess (in ms. Thruleses), servitorem suum, ducis subditum, commendat, ut negotium bonorum ipsius ex sententia transigere velit.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 298.

N. 210.

Vilnae, 10.VIII.1540.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum de bonis Ioannis Goliński; de subditis regis, qui ex terris Ducis exire coguntur.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quemadmodum aestimata sint bona Nobilis Ioannis Golinski, ex literis Illustritatis Vestrae cognovimus. Sed nostri tamen Commissarii ab ea aestimatione non parum dissentiri videntur, ac graviter queruntur homines nostri, praesertim ex equestri ordine, ita se ex terris Illustritatis Vestrae exigi, ut bona sua quam minimo vendere cogantur, cum nos ta-

men neminem ex Illustritatis Vestrae subditis de suis bonis deturbaverimus, si quae in nostris terris possidet. Postulamus ab Illustritate Vesta, ut agat aliquanto mitius, cui sententiam nostram per Oratorem nostrum, quem isthuc brevi missuri sumus, uberius explicari faciemus, communicato cum Consiliariis nostris consilio. Quam bene valere optamus. Datum Vilnae, die X Augusti, anno Domini MDXL, Regni vero nostri anno XXXIII.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 211.

Vilnae, 12.VIII.1540.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ut chirurgo ducis Ruperto Gockel (in ms. Gockler) a Rorpach, cui rex munus annum concessit, ad minimum semel singulis annis Vilnam visere liceat.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 212.

Vilnae, 13.VIII.1540

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro Venceslao [Wierzbicki], episcopo Samogitiae. (m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 298.

N. 213.

Vilnae, 15.VIII.1540.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae credentiales pro Venceslao [Wierzbicki], episcopo Samogitiae, Ioanne Narbuth, capitaneo Marcoviensi, et Felice a Cracovia, coquiae Magni Ducatus Lithuaniae magistro.

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 298.

N. 214.

Vilnae, 28.VIII.1540.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ne profugis ex Regno receptus detur in Prussia Ducalt.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.
Gratum est nobis, quod Illustritas Vestra suis mandaverit, ne pro-
fugis ex Regno nostro, praesertim ex terra Masoviae, receptum dent, sed
eos iis, quorum sunt, ut primum admoniti fuerint, restituant. Nos quoque
idem a nostris fieri curabimus.

Quod vero limites attinet, de iis quae sit sententia nostra, ex Legato
nostro Illustritas Vestra cognoscet. Cui quicquid ea de re convenerit
cum Illustritate Vestra, id ratum sumus habituri. Bene valere et foelicem
esse Illustratatem Vestram optamus. Datum Vilnae, XXVIII Augusti,
anno Domini MDXXXX, Regni vero nostri anno XXXIIII.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

a)-b) alia manu.

N. 215.

Vilnae, 9.X.1540.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum pro Ioanne Goliński, ne exproprietur.
(Samuel [Maciejowski] ep. Chelmensis vicecancellarius subscrispsit)

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

N. 216.

Vilnae, 9.XI.1540.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
extraditionem civium Elbingensium, quos dux suos homines esse assertit,
ei negat; contra impedimenta liberae navigationis protestatur.

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Defertur ad nos Illustratatem Vestram tradi sibi velle cives quosdam
nostros Elbingenses, quos esse suos homines assertit atque e ditione sua

discessisse, et Elbingi suum domicilium collocasse. Itaque ex pacto eos repetit. Atqui nobis ita renunciatur non modo ante instaurata pacta et foedera, verum etiam antequam in fidem nostram concessisset Illustritas Vestra, quin potius ante bellum illud gestum homines istos in civitatem nostram Elbingensem commigrasse, ita ut ex pactis, quae nondum erant instaurata, repeti non possint. Quare hortamur Illustratatem Vestram atque ab ea postulamus, ut ne quid civibus istis negotii facessat, sed eos in civitate nostra Elbingensi quiete commorari permittat. Quod ad mutuam inter nos coniunctionem augendam pertinebit.

Praeterea multorum querimonii ad nos perfertur Illustratatem Vestram, non sine gravi totius Regni nostri et civitatum Prussiae incommodo, quominus libera sit per portum Balia navigatio, impedire. Quae res cum aperte pactis et libertati communis antiquitus observatae repugnet, hortamur Illustratatem Vestram, ut pactis stet, iura et morem atque usum veterem servet ac libere unicuique per portum istum navigandi protestatem faciat. Ita futurum est, ut et apud nos benevolentiam non vulgarem ineat et omnis dissidiorum occasio tollatur. Quam bene valere optamus. Datum Vilnae, IX Novembris, anno Domini MDXL, Regni vero nostri anno XXXIIII.

Ex mandato Maiestatis Regiae proprio.

N. 217.

Vilnae, 12.XI.1540.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de profugis restituendis instat, de libero commeatu vicinorum inter se
populorum permittendo.*

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica)

H B A, B 1, K. 298.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Scripseramus non ita diu ad Illustratatem Vestram, ut colonos ex terris Masoviae in Prussiam profugentes dominis illorum reddi iubeat. Idque se facturam Illustratas Vestras per litteras recepit. Nichilominus questa est nobis nobilitas Masovie eos ipsos colonos sine magna difficultate et iuris dispendiis sibi non restitui, nec ius suum reddi. Quare Illustratatem Vestram iterum hortamur, ut ea in re vicinitatis et mutue coniunctionis rationem habeat, ac eos ipsos nobilitatis nostre colonos profugos, a nobilibus suis ea de re tocies requisitis, sine omnibus difficultatibus et iuris dispendiis reddi iubeat. Detulit eciam eadem nobilitas ad nos, quod cum ex terris Masovie antea semper ubertim annonam et reliqui commeatus in Prussiam inveharentur, ex Prussia contra in Masoviam invehi prohibentur. Quod contra vicinitatis et bone coniunctionis ius facere videtur. Proinde eciam Illustratatem Vestram hortamur, ne eam ipsam annonam et aliquos commeatus ab hominibus nostris in ter-

ris Prussie emi prohibeat, sed liberum commeatum vicinorum inter se
populorum permittat. Ac ea omnia a suis servari mandet, que ad tuen-
dam vicinitatis coniunctionem et tranquilitatem pertinere arbitrabitur.
Quod ut vicissim a nostris hominibus servetur, severe mandabimus. Cu-
pimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Vilne, XII die mensis
Novembris, anno Domini MDXL, Regni vero nostri XXXIIII.

a) Commissio propria Regie Maiestatis.^{b)}

c) Samuel Episcopus Chelmensis

Vicecancellarius Regni subscripsit ^{d)}

a)-b) *alia manu.*

c)-d) *manu Samuelis Maciejowski.*

N. 218.

Vilnae, 12.XI.1540.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci

de re monetaria: ut dux monetam cudere immediate desinat, exemplum
civitatum Prussiae Regalis sequens.

(doc. ex magna parte destructum. Adest tamen versio germanica)

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 298.

N. 219.

Vilnae, 28.XI.1540.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro oratore ducis [Ioanne de Kreitzen?].

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 298.

N. 220.

Vilnae, 16.I.1541.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci

de finium controversia; de obstaculo in flumine Russa.

Sigill. X.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

Bona etc.

Illustrissime Princeps et Domine, Amice et Affinis noster Charissime,
salutem et omnis felicitatis perpetuum incrementum.

Accepimus litteras Vestre Illustritatis, quibus respondet nobis ad
ea, quae per Generosum Achacium Cema, Castellatum Gdanensem, et
per Doctorem Ioannem,¹⁾ Cancellarium eiusdem Vestre Illustritatis,

renunciari ei fecimus, vidimusque raciones, quas pro se ipsa Vestra Illustritas adducit. Contra quas tametsi possemus nos maiores melioresque vicissim raciones nostras opponere, verum nolumus chartis et scripturis de iure deque rebus nostris cum Illustritate Vestra decertare. Et si hoc tanto tempore (de iure tamen nostro non decadendo) patienter tulerimus ius nobis nostrum non esse redditum, facile adhuc etiamnum eam moram perferre poterimus, donec controversia hec de finibus et de iure utriusque dominii suscitata determinetur. Illud vero, quod Illustritas Vestra scribit se, salvo feudo ac iureiurando suo, iuribus suis deesse non posse, id etiam nos nobis pari iure vendicamus. Neque ob id, quod iura nostra Ducatusque huius sarta tecta esse volumus, imputare quidquam nobis Vestra Illustritas debet. Quae enim pro retinendo iure nostro facimus, ea iuste, recte atque ordine facere nobis videmur. Que tamen omnia cum veris documentis comprobabuntur, facile tum constabit, utrius partis contentio iustior fuerit.

Quas autem raciones Vestra Illustritas de obstaculo suo in flumine Russa posito adducit, eas etiam ex eisdem literis cognovimus. Ceterum a quam longo tempore id obstaculum esse ceperit, de eo etiam nunc non disputamus. Sed certe ex iure foederum, inter Lituanię et Prussiam pactorum, planum est aquas et flumina quecumque pervia ac libera esse debere Lituaniae ac Samogitia incolis, usque ad mare et ultra mare, cum omnibus navigiis, rebus ac mercibus eorum. Nec foederibus pactis aequum est contravenire. Quod tamen obstaculum, ut fidelium hominum relatione edocemur, paulo ante non ita densum fuit, ut transitus piscibus intercluderetur. Nunc vero is fluvius adeo denso obstaculo praeseptus est, ut non modo navigiis ullis, sed ne piscibus quidem possit esse permeabilis. Qua ex re non leve ad homines nostros pervenit incomodum.

Quocirca, cum flumina ipsa omnia ex foedere permeabilia ac libera esse debeant, postulamus ab Illustritate Vestra, ut hunc etiam flumen Russa liberum ac pervium fieri faciat, nec in eo, quod negari iure non debet, Vestra Illustritas duram ac difficilem se prebeat. Quin etiam in colenda nobiscum mutua benevolentia et bona vicinitate talem se prestet, qualis coniunctio et necessitudo nostra mutua bonaque vicinia ac debitum ipsius feudale exposcere videtur. Quod cumulatius cum fecerit Vestra Illustritas, longe auctiorem nostram sibi benevolentiam comparabit. Quam diu sanam et semper felicem valere ex animo optamus. Datum Vilnae, die XVI Ianuarii MDXL.^{mo}

a) Bona Regina subscrisit. b)

a)-b) *manu propria.*

1) *Ioannes Apel.*

N. 221.

Vilnae, 16.I.1541.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae curiales.

(*m.p. regis subscriptum*).

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 299.

Vilnae, 20.I.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae**Alberto in Prussia duci**de proscriptionis decreto abrogando; de finibus; de subditis ducis non tradendis; de profugis restituendis; de libera navigatione.**Sigill. II.**H B A, B 1, K. 299.**Sigismundus etc.*

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Ut proscriptionis decretum a Caesarea Maiestate¹⁾ induci possit et antiquari, non minori nobis atque Illustrati Vestrae curae est. Neque enim magis id illius quam nostra interesse videmus, ut id primo quoque tempore fieri queat. Quare deliberatum nobis erat ad Caesaream Maiestatem aliquem hac de causa legare, sed quoniam verebamur, ut tempori posset venire, cum ante dies plus decem copta sint haberi Comitia, quae ne prius absolverentur, quam noster eo nuncius perveniret, periculum esse videbatur, literas ea de re scripsimus ad Caesaream et Regiam Romanorum²⁾ Maiestates, ac alios nonnullos, quas Illustri Domino Georgio Marchioni, fratri Illustritatis Vestrae, nepoti nostro charissimo, dari iussimus. Quod si is abesset, per nostrum eas Cubicularium reddi iis, ad quos scriptae sunt, mandavimus. Recte sibi de nobis pollicetur atque etiam de Serenissimo filio nostro Illustritas Vestra, non modo non esse nos impedituros illam in iis, quae legittime fuerint per eam constituta, sed auctoritate nostra regia et rata illa habituros et, si quis contra ea venire ausus erit, defensuros.

Ac uter alteri superstes futurus sit, solius est Dei iudicium, sed si Illustrati Vestrae, cui longam incolumitatem optamus, prius quam nobis humanitus aliquid acciderit, nihil est, quod de nostro erga Illustrem coniugem et liberos suos animo dubitet. Nos officio nostro Principis feudatarii nulla sumus in re defuturi. Nam hoc, quod scribit Illustritas Vestra, nobis firmiter est persuasum nihil eam nisi legittime et officiose facturam atque omni diligentia provisuram, ut suorum rationibus ita consulat, nihil ut interea de iure nostro successorumque nostrorum detrahatur.

De die, quem finibus regundis praefinivimus, sententiam nostram nobis mutare integrum non est, absentibus nunc Magni Ducatus huius nostri Senatoribus, de quorum consilio diem hunc statuimus. Simulatque vero ii reversi fuerint, cum illis una deliberabimus, possit ne alias dies paulo aut celerior aut tardior finibus regundis constitui. Quod si ita illis visum erit, faciemus Illustratatem Vestram certiorem. Sin autem nihil esse mutandum existimaverint, nos quoque in sententia permanebimus.

De Elbingensibus nihil aliud quam servari pacta volumus, in quibus expresse cautum est eos tantum a dominis suis repeti posse, qui biennio ante proxime gestum bellum se subduxissent. De portu quoque Balgensi clare perscriptum est liberam esse per eum debere navigandi potestatem, citra ullam exceptionem.

De profugis credimus nos quidem mandasse suis Illustratatem Vestram, ut ne receptum eis darent, verum dominis eos suis restituerent. An autem dicto illi audientes fuerint, dubitare nos fecerunt frequentes postea no-

strorum de colonis suis retentis querimoniae. Porro num diligentiores futuri sint officiales Illustritatis Vestrae in mandatis illius exhauriendis, quam adhuc fuisse videntur, res ipsa declarabit. Et nos et Illustritas Vestra magna erimus utrique molestia liberati.

De annonae nihil aliud, quam quod in pactis est, postulamus, quibus ut satisfiat, aequum esse censemus. De moneta quae scripsit Illustritas Vestra, ea in Comitiis, quae proxime in terris nostris Prussiae habebuntur, cum earum Consiliariis communicabimus, ac eorum hac de re sententia cognita, nostram quoque Illustrati Vestrae aperiemus. De appellationibus, a quibus ad quos eas fieri, et legibus caustum et moribus receptum sit, neque nos ignoramus neque Vestram Illustratatem clam esse putamus. Sed Gedanensium tamen causa, quemadmodum se habeat, scriptis ad eos literis cognoscemus, quibus ut ius dicant subditis Illustritatis Vestrae, his quas illi mittimus literis mandamus. Bene valeat Illustritas Vestra et sit foelix. Datum Vilnae, die XX Ianuarii, anno Domini MDXLI, Regni nostri XXXIIII.

a) Ex commissione Maiestatis Regie propria
Samuel Episcopus Chelmensis
et Vicecancellarius b)

a)-b) manu *Samuelis Maciejowski*.

1) *Carolus V.*

2) *Ferdinandus I.*

N. 223.

Vilnae, 22.I.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
consiliariis ducis in Prussia
eorum gravamina Gedanensibus tradita esse; de re monetaria; de pro-
scriptione tollenda ad imperatorem [Carolum V] et regem Romanorum
[Ferdinandum I] se scripsisse.*

Sigill. II.

(Adest etiam versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Reverendi, Magnifici, Generosi, Nobiles et Famati, sincere et fideles nobis dilecti.

Quae de appellationibus queruntur Sinceritates et Fidelitates Vestrae, etsi quid de iis et legibus caustum et moribus est receptum neque ipsi ignoramus, neque Sinceritates et Fidelitates Vestras clam esse existimamus. Scripsimus tamen ad Consules Gedanenses, subditos nostros, ut ii dent operam, ne quis iuste de non administrata sibi per eos iusticia coram nobis queri possit, et quemadmodum causa ista se habeat, nobis perscrivant.

De re monetaria scripsimus copiosius Illustri Principi, Domino Sinceritatum et Fidelitatum Vestrarum, Nepoti nostro charissimo, totumque negocium ad proxime futura Comitia terrarum nostrarum Prussiae reie-

cimus. Quod proscriptionem attinet, de ea abroganda ad Caesaream et Regiam Romanorum Maiestates accurate scribi litteras iussimus, quibus profici aliquid posse speramus. Uberius omnia Sinceritates et Fidelitates Vestrae ex iis, quae ad Illustrem Principem et Dominum earum scripsimus, cognoscent. Quae ut bene valeat,^{z)} cupimus. Datum Vilnae, XXII Ianuarii, anno Domini MDXLI, Regni nostri anno XXXV.

a) Ex commissione propria Regiae Maiestatis.^{b)}

a)-b) *alia manu.*

z) *sic in ms.*

N. 224.

Vilnae, 18.II.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis*

*controversiam inter Stanislaum Lawski, vexilliferum Varsaviensem et
Ioannem Kroesel, capitaneum in Ioannesburg, ad Comitia Regni
se reieisse significat.*

(Samuel [Maciejowski] Episcopus Chelmensis et Vicecancellarius sub-
scripsit).

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

N. 225.

Vilnae, 18.II.1541.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro Fabiano Czema (in ms. Cema).

(m.p. *reginae subscriptum*).

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 299.

N. 226.

Vilnae, 24.II.1541.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de retentione nuntii reginae Błeszczyński.

(Adest versio germanica).

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 299.

Bona etc.

Illustris Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem et
omne bonum.

Post redditum hinc a nobis Cancellarii sui ad se scripserat nobis Vestra Illustritas litteras, in quibus inter alia de retentione nuncitii nostri Blesczinski, ad eandem a nobis missi, mentionem Vestra Illustritas fecerat, et inter ceteras retentionis eius causas hanc etiam adscripserat, tanquam is ipse nuncitius noster non modo solus et cum suis comitibus, verum etiam cum quibusdam profugis maleficiisque suspectis personis, via vetita ingressus esset, et ob id fuisse iure in Insterburgk retentus. Ad hunc articulum in proximis litteris nostris nichil Vestre Illustritati rescripsimus, eo quod is servitor noster premissus tum erat ad hospicia et stationes curandas pro venationibus Serenissimi filii nostri Regis Poloniae, et ob id non potueramus tum ab eo inquirere, num ille aliquos perfugas et suspectos homines, ad Vestram Illustritatem vadens, secum in itinere habuerit.

Nunc vero post absolutas venationes, cum ad nos revertisset, comperta ex eo veritate, scribimus Vestre Illustritati nullos eum perfugas, nullas suspectas personas in comitatu suo habuisse, preter ternos servitores eius, Nobiles N. Jaczkowski et Petrum Cuchnowski, puerum, gentis Polonicae. Tercius erat Ambrosius Lituani generis, homo etiam nobilis, subditus noster a Wasilisski. Quartus autem ductor itineris erat Lituanus plebeie sortis, qui supra fluvium Lepunia in confinibus versus Prussiam degit, etiam noster subditus. Preter hos autem quatuor, nullos alios is ipse servitor noster Blisczinski, secum duxit. Hii quatuor nullius unquam criminis accusati suspectique fuerunt. Is autem Blesczinski homo verax ac fidelis est, nec quod verum non est dicere nobis auderet. Non difficile est videre haec in eum conferri, quo pretextus et color aliquis fieret indecentissimi facti, in detento nuncio nostro admissi. Eam indignitatem quo animo ferre nos conveniret, quisque prudens iudicare posset. Hinc etiam Vestra Illustritas videat, quantum suis deinceps credere debeat. Cupimus Vestram Illustritatem sanam et felicem esse. Vilnae, die Sancti Mathiae Apostoli, anno Domini MDXLI.

a) Bona Regina subscrpsit. b)

a)-b) *manu propria.*

N. 227.

Vilnae, 25.II.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
prohibitio, ne homines de terra Tilsensi et Ragnetensi in Samogitiam
proficisci queant.*

Sigill. IV.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Redditae sunt nobis Illustritatis Vestrae litterae, quibus queritur edicto nostro prohiberi homines suos, qui sunt in Tilsensi et Rangnicensi

territorio, consuetis itineribus in terram nostram Samogitiae proficisci, nostros quoque Samogithienses ab eorum arceri commercio atque ita utrinque minus esse liberam mercandi facultatem. Itaque petit a nobis, ut aedictum id nostrum inductum velimus et antiquatum. Nos quicquid ea de re statuimus, faecimus de consilio sentenciaque Consiliariorum Magni Ducatus istius nostri, atque id tanto minus dubitanter, quod inicium eiusmodi edicta faciendi a Vestra Illustritate proffectum esse acteppimus. Quae et ipsa non ita multo ante certis in locis consuetis uti itineribus, nostros homines et merces nonnullas inferre prohibuit. Quamobrem quod sibi licere voluit Illustritas Vestra, id nobis quoque multo magis licitum esse debere Consiliarii nostri censuerunt. Cum presertim nullus esset querimoniarum finis, quibus aures nostre crebro personabant, de iniuriis, que ex istis Illustratatis Vestrae territoriis hominibus nostris inferebantur. Faeret itaque aequo animo Illustritas Vestra id edictum per nos nunc non abrogari, cui ferendo causam ipsa prebuisse videtur. Quae ut diu et foeliciter valeat, optamus. Datum Vilnae, XXV Februarii, anno Domini MDXLI.

a) Commissio propria Regiae Maiestatis.^{b)}

a)-b) alia manu.

N. 228.

Vilnae, 10.III.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de iniuriis et damnis, quae a subditis ducis bonis reginae [Bonae] Siemno
vocatis illatae sunt.*

Sigill. IV.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

N. 229.

Vilnae, 17.III.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de querelis subditorum ducis; de banno imperiali, ad quod tollendum
Stanislaus Maciejowski a rege mittitur.*

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime, salutem et omne bonum. Redditae sunt nobis litterae Illustratatis Vestrae, quibus querelas subditorum illius inclusas invenimus, easque perfectas ad Officiales et

Prefectos nostros, in quorum praefecturis illa, que deferuntur, fierent, misimus, ut qui istarum iniuriarum ignari simus, ab illis liquidius quid sint responsuri intelligamus, eaque re non differri a nobis iusticie administrande tempus, sed rei certitudinem quaeri Illustritas Vestra existimet, velimus. Et simulac ab eis ipsis Officialibus nostris quid sit hoc rei compererimus, pro necessitate tum Illustritati Vestrae litteris respondebimus. Ceterum hunc, qui ab Illustritate Vestra litteras attulit, tantisper retinendum esse non existimavimus, quoad ab Officialibus nostris, qui procul absunt, relatum ad nos fuerit, partim quod non parvo tempore illi hic manendum fuisset, partim quod expedire plurimum sumus arbitrati, ut celeriter ad Illustritatem Vestram a nobis ferret de eo, quod illius nomine Reverendus in Christo Pater, Dominus Samuel¹⁾ Episcopus Chelmensis, Regni nostri Vicecancellarius sincere nobis dilectus, nobiscum egit, de banno videlicet et proscripcione adversus Illustritatem Vestram, ex Camera Imperii Romani lata et decreta, tollenda.

Ea itaque de re tempestive racionibus et dignitati Illustritatis Vestrae consulere cupientes, designavimus ad Caesaream Maiestatem, dum Comitiis Germanicis intenta est, nuncium Generosum Stanislaum Macziejowski, fratrem praedicti Domini Episcopi Chelmensis, aulicum nostrum, qui cum Caesarea Maiestate nomine et authoritate nostra de racionibus Illustritatis Vestrae transigat. Praescriptum quidem illi est a nobis, in quae verba quamque sentiam agendam legacionem aggredi debeat. Tamen Illustritatis Vestrae, cuius negotium agitur, erit eum diligentius etiam de omnibus rebus, quid et quomodo agere illic debeat, edocere. Nos enim id quoque mandati ad eum dedimus, ut quicquid ab Illustritate Vestra illi in eadem re allatum fuerit, quod huc spectet, eo ad responsum optatum eliciendum utatur. Proderit etiam, ut Illustritas Vestra et fratri suo Illustri et aliis quoque amicis, sanguine et affinitate iunctis Principibus, causam suam per litteras commendet. Quod autem in nobis fuit, nihil pretermissee nos arbitramur, quod ad eam legacionem foeliciter transigendam expedire vidimus. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Vilnae, XVII Marcii, anno Domini MDXLI, Regni vero nostri anno XXX quinto.

Commissio Sacre Regie Magestatis propria.

1) *Maciejowski*.

N. 230.

Vilnae, 7.IV.1541.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci*

Ioannem Tobiński a duce commendatum numero satellitum, quos drabanthi vocamus, adscribere se non posse, quia eorum famulorum numerus praescriptus est.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 299.

Vilnae, 22.IV.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ab ipso rogatus, proficiscendum-ne illi sit Ratisbonam necne, respondet nullum se habere consilium ducemque melius scire, qualis sit rerum status.

Sigill. II.

(Adest versio germanica non completa).

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Ex litteris Illustritatis Vestrae gratum nobis fuit illud cognoscere, quod scribit, modo certi aliquid habere possit et explorati de iniuriis, quas ab hominibus Illustritatis Vestrae Serenissimae coniugis nostrae homines in bonis Simno accepisse dicuntur, se in suos pro eo, ut meriti fuerint, animadversuram. Quod vero postulat a nobis, ut et nos in eos itidem animadvertiscamus, quos constiterit ex nostra ditione hominibus Illustritatis Vestrae incommodasse et eos iniuria aliqua affecisse, id nos libenter faciemus, dummodo eorum nomina deferantur ad nos et quibus fuerint iniuriis accersiti, earum rei peragantur.

Quod autem consilium sibi a nobis dari petit, proficiscendum-ne illi sit Ratisponam necne, quandoquidem publicae fidei litteras, quem salvum conductum vocant, ab Imperatoria Maiestate nacta est, nos quid illi consilii demus non habemus. Scit ipsa melius Illustritas Vestra, qui sit Ratisponae rerum status futurus, quid de Imperatoria Maiestate, quid de caeteris quoque Principibus polliceri sibi tuto possit. Proinde circumstantiis omnibus diligenter consideratis, quid suis rationibus conducere potissimum iudicaverit, id per nos ut faciat, licebit. Dummodo ita, ut pollicetur Illustritas Vestra, nihil agat aut transigat nisi de sentencia et authoritate nostra. Quod Illustratatem Vestram pro fide sua ita esse facturam nobis persuademus. Verum illud tamen admonitam Illustratatem Vestram volumus, cum diligentius a nobis lectae sint litterae fidei, quem salvum conductum vocant, visum esse nobis, quod illis non satis cautum sit Illustrati Vestrae. Videmus enim in eis nominatim id expressum esse ad amicabilem compositionem et transactionem. Quid si transactum negotium non sit, dabitur-ne nihilominus discedendi libere potestas? Vellemus itaque aut in genere scriptas esse litteras ipsas nullaque nominatim expressa, cuius causa datae sint, aut saltem hanc additam clausulam: Quamdiu talis amicabilis transactio durat, permanere, sive autem ea optatum sit exitum consecuta, sive secus aliquid evenerit, nihilominus postea sexaginta dies etc. Haec nos pro eo animo, quo sumus erga Illustratatem Vestram, admonendam illam putavimus. Quam bene valere et foelicem esse ex animo optamus. Vilnae, XXII Aprilis, anno Domini MDXLI, Regni nostri anno XXXV.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regie propria.^{b)}

a)-b) *alia manu.*

Vilnae, 1.V.1541.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro equo sibi misso gratias agit.
(m.p. regis subscriptum).*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 299.

Vilnae, 30.V.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
mittit commissarios ad finium tractationem instituendam; sequitur postscriptum cum versione germanica de iniuriis hominibus Magni Ducatus Lithuaniae illatis et annexum de "oppressionibus et iniuriis" subditorum.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Erat nobis omnino deliberatum, ut ad Calendas Augusti commissarios nostros finium regundorum causa mitteremus. Sed quoniam ingens est hoc quidem tempore rerum omnium ad victimum pertinentium penuria, visum est nobis differre negotium id in diem usque Exaltationis Sancte Crucis. Quod ad tempus suos mittendos quoque Illustritas Vestra curabit, amplius enim more interponi nollemus. Et bene valeat Illustritas Vestra. Datum Vilne, penultima die mensis Mai, anno Domini millesimo quingeniesimo quadragesimo primo, Regni nostri anno trigesimo quinto.

Commissio Sacrae Regiae Maiestatis propria.

Schedula adiuncta eadem manu atque annexum scripta:

Quibus homines nostri ex Magno Ducatu nostro Lituaniae a subditis Illustritatis Vestrae se iniuriis affici queruntur, eas illi cum presentibus mittimus atque ab illa postulamus, ut provideat, ne deinceps subditi nostri eiusmodi iniuriis afficiantur et nobis super his responsum faciat.

Annexum:

Oppressiones et magne iniurie subditorum et mercatorum Magni Ducatus Lithuaniae.

In primis et brakarnya^{a)} vulgo dicta, que fuit Kawne, pro cineribus et lignis, nuncupatis wanczoss, hanc sibi libere adimerunt,^{b)} tam Regioni montani quam Gedanenses, ita quod ex tribus vel 4 centenariis, alias zechczykow, vix unum bonum centenarium facient. Et postquam elegerint,

insimul variabant cum aliis lignis, et ducunt in Germaniam pro bonis, in magnam iacturam et perniciem mercatorum Ducatus Lithuaniae. Exinde magnum lucrum consequentes.

De cineribus

Eodem pacto eligunt, alias bracuyam, quo ipsis libet, ita quod ex aliquot lastis vix unum bonum lastum facient. Et super quemcunque irati fuerint, non quod eligere debeant, sed et turmas dissecare soliti sunt cum cineribus et destruunt. Ex quo mercator commodum sibi facere poterit, quia si merces non placuisset, restituenda deberetur mercatoribus, et non distruenda neque dissecanda.

Et ex eadem bracarnya fuerunt non modica commoda civitati Kaw-nensi. Ex quo civitas edificabatur et commoda habebat. Quod commodum sibi libere adimerunt et sibi pro suis civitatibus converterunt, in magnam iacturam subditorum Ducatus Lithuaniae et mercatorum Sacre Regie Maiestatis.

Et Gedanenses exigunt thelonium, nuncupatum funtove, a Vilnensibus et Kawnensibus mercatoribus, et ex aliis Ducatus Lithuaniae. Quod nunquam antea fuit.

Eciā Illustris Dominus Dux Prussiae sublevavit thelonium a fillis,^{b)} alias od przondze, et aliis rebus. Et prius fuit per 15 grossos, nunc exigitur in bino et in trino.

Eciā in graniciebus Prussie, in terra Prussiae iuxta granicies terre Samogitiensis, fecerunt sibi depositorum apud Swab^{c)} super omnes mercancias, prout super ceram, sal, cuttes et peccora ac diversas mercancias, et absque thelonio demittebant. Quod nunquam antea fuit, et id factum in magnam iacturam theloniei Kawnensis Sacre Regie Maiestatis et in perniciem omnium mercatorum Ducatus Lithuaniae, quia pro talibus mercanciis, prout pro sale et aliis rebus, in Kawno veniebant ad emendum et exinde civitas ampliabatur, dum Kawne emebatur, et mercatorum Germanicorum servi, dicti liegarowye, iacebant semper Kawne ultra centum sal vendentes et superius descriptas mercancias ementes.

Ubi prius nullam talem libertatem habebant tales mercancias emere in Samogithia, neque sal vendere dumtaxat Kawne.

Et ita Sacra Regia Maiestas, considerando cum Dominis Consiliariis tales iacturas theloniorum Kawnensium, dignata est Sua Maiestas facere unam viam in Gorzdi et aliam in Jurborgk, oppidum Sacre Reginalis Maiestatis. Et ibi Sacra Regia Maiestas dignata est admittere tales merces Germanis emere et thelonium solvere, iuxta id, prout Sua Regia Maiestas unacum Dominis Consiliariis suis in Convencione Generali statuere dignata est, non recedendo ab antiquis theloniis et consuetis.

Quod attinet Gedanenses, qui sunt vicini Magni Ducatus Lithuaniae et subditi Sue Sacre Regie Maiestatis, super quibus conspiracio et liga est 10 civitatum, hii omnes mercantur et nominant se esse Gedanenses et utuntur libera mercatura, sicut et Gedanenses et mercatores terre Prussie, sicut Nurembergenses et ipsorum college. Quam ligam vocant Hanzen vel Hanza Bunth, quia hee civitates insimul cum eis defensam tenent, et simul cum Livoniensibus liberali mercatura utuntur in Ducatu Lithuaniae.

Insuper tenent aliam ligam, quam vocant Venden Bunth, sicut cum Lubczanensibus, Rostoczanensibus, Hamburczanensibus etc., et aliis. Hii omnes mercantur in magnum detrimentum theloniei Sacre Regie Maiestatis.

Et his ligis educunt, habita tali libertate, homines Sacre Regie Maiestatis, annuatim ultra quinque millia, et Dominorum Consiliariorum et generaliter tocius nobilitatis, tam spiritualium quam eciam secularium, in navibus diversi nominis. Ex quibus nemo revertitur. Et in hoc Reipublie magna iactura evenit. Et exinde deserta loca crescent et dominium Sacre Regie Maiestatis desertatur et subditorum Sue Sacre Regie Maiestatis.

Quid vero iniuriarum agitur Vilnensibus, tum eciam Kawnensibus et aliis mercatoribus Magni Ducatus Lithuaniae Sacre Regie Maiestatis, credo eos non tacuisse.

Eciam Illustris Dominus Dux Prussiae in sua terra prohibuit suis subditis, sub ammissione colli, mella^{a)} non emittere de terra sua, si eciam tum thelonium solutum fuisse. Et eciam feras, sicut pantheres, marderes,^{c)} vulpes, subditis Sacre Regie Maiestatis non admittunt emere. Et quicunque subditus Sacre Regie Maiestatis aut Sue Illustris Dominationis educeret e terra Prussiae supranominatas merces, talis postquam detentus fuerit, punitur collo. Suspenduntur, decollantur et eorum capita palis infiguntur. Prout hoc oculis suis Dominus Episcopus Samogitiensis vidit, dum in Prussia fuit.

Et Regiomontani in Ducatu Lithuaniae libere mella emunt, et liquefacta in terram Prussiae multa ducunt. Et thelonium non solvunt, ac eciam pantheres, vulpes aliasque merces libere in Ducatu Lithuaniae emunt. Et in terram Prussiae ducunt, thelonio non soluto.

Insuper et prius mercatores Sacre Regie Maiestatis et alienigene laborabant in officinis nemorum, nominando et afferendo in memoribus Dominorum, et ab hoc solvebant thelonium parvum, a centum kliepek per 6 grossos, et a centenario vanczosse per 3 grossos et a lasta cineris per 4 grossos.

Demum inventum est, quod ipsi hos labores habebant non in Dominorum memoribus, sed Sacre Regie Maiestatis. Sua Maiestas tandem, considerando talem iacturam suam, nullas officinas habere in suo Ducatu Lithuaniae mandavit.

Tandem ad humilem supplicacionem mercatorum concessit Sacra Regia Maiestas officinas habere, et ipsi obligaverunt se thelonium solvere a quolibet centenario lignorum, prout a centenario wanczosse, a centenario kliepek, a lasta cineris per 15 grossos. Sacra Regia Maiestas ex sua liberali gratia et id ipsis attenuavit, dimisit per 1 grossum et per 8 grossos mandavit accipere. Et ipsi hanc graciam Sue Regie Maiestatis obliiti sunt.

Et nunc mercatores Gedanenses ac Regiomontani noviter fecerunt Bracc Vilnensibus et Kawnensibus ac aliis Magni Ducatus Lithuaniae mercatoribus, ita quod eligunt linum, canapam, quod prius non faciebant. Et hoc non in modicam iacturam mercatoribus huius Ducatus Lithuaniae. Tum eciam eligere solent, alias braccuyam, in aliis rebus his similibus.

a) *hic in margine*: Bracke.

b) *hic in margine*: Garn.

c) *hic in margine*: Niderlag beym Schwaben.

d) *hic in margine*: Honig.

e) *hic in margine*: Mardern.

z) *sic in ms.*

Vilnae, 10.VI.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de controversiis finium.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Reddidiit nos certiores Nobilis Ivan Cunczewicz, Factor noster Iurbarensis, Capitaneos Illustritatis Vestrae stativa quaedam aedificare in iis locis, de quibus adhuc ambigitur, ad Vestram-ne Illustritatem, an ad Magnum Ducatum nostrum Lituaniae pertineant, nominatim autem in bonis Coczicze, quae in sequestro esse debent, quoad haec finium controversia terminetur. Quin et in aliis nonnullis idem eos conari, in quorum possessione et fuimus semper et sumus adhuc. Quod si idem a nostris fieret, ferret procul dubio moleste Illustritas Vestra, si aut in iis, quibus de ambigitur locis, aut in quorum ipsa possessione est, aliquid nostri aedificare molirentur. Proinde quod sibi fieri nolit Illustritas Vestra, id nobis ne faciat hortamur. Sed si quae aedificata iam sunt, ea demoliri potius iubeat, neque controversorum bonorum sibi quicquam vendicet ante eam, quae instat, de finibus disceptationem arbitrationemque. Ne si idem nostri facere instituant, in maius aliquod malum res erumpat.

Id quoque significatum nobis est eosdem Capitaneos Illustritatis Vestrae misisse complures homines, qui vias pararent per terras, silvas, paludes Magni Ducatus nostri Lithuaniae ad limites indicandos. Quod et ipsum etsi fieri non oportebat, facile tamen ferimus, dummodo et nostris idem licere velit in suis bonis, quod Illustritatis Vestrae Capitanei sibi in nostris bonis sumunt. Neque enim aequum est, meliore ut suos, quam nostros esse velit conditione. Atque ad bonam vicinitatem conservandam pertinebit, si aequabilitas utrinque servetur. Neutra ut pars plus altera sibi licere velit, quoad finium haec controversia per utriusque nostrum commissarios fuerit terminata. Quorum cognitioni nihil adferre praeiudicii debebunt viae istae, quae ad limites indicandos utraque ex parte fuerint paratae. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Vilnae, X Iunii, anno Domini MDXLI, Regni nostri anno XXXV.^o

Ex commissione propria Sacrae Regiae Maiestatis.

Vilnae, 15.VI.1541.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Conrado Truchsess, cubiculario suo, in Prussiam et in Germaniam
proficiscente.
(m.p. regis subscriptum).*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 299.

N. 236.

Vilnae, 19.VI.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Ioanne Stiffth de Klecze [Kliczewski], ut villam Czarne per modum
redemptionis consequi possit.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

N. 237.

Vilnae, 26.VI.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de tuguriis in ipsis limitibus terrarum existentibus demoliendis.

Vest. sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem et omne bonum.

Quae de tuguris scripsit ad nos Illustritas Vestra, ea cum legerentur coram Consiliariis Magni Ducatus nostri, decretum est, nisi idem a nostris velit fieri Illustritas Vestra, ut ea omnino demoliri iubeat. Neque enim quibus de locis adhuc ambigitur, in iis aedificari aliquid licitum est, priusquam haec finium controversia terminatur. Quare hortamur Illustratatem Vestram atque ab illa postulamus, ut bonae vicinitatis conservandae causa tuguria haec demoliri faciat. Posteaquam vero designati erunt per nos commissarii, quorum nomina Illustratati Vestrae postea scriberimus, tum phas erit tam nostris quam iis, que erunt ab Illustrate Vestra, casas eiusmodi seu tuguria cuique in suo solo aedificare. De hoc autem nihil est, quod sit sollicita Illustritas Vestra, ne prorogetur per nos tempus regundorum finium. Nobis enim prorsus deliberatum est ad constitutum diem commissarios nostros mittere, neque sentenciam hanc nostram mutabimus. Optamus Illustratatem Vestram diu esse incolumem et foelicem. Datum Vilnae, XXVI Iunii anno Domini MDXLI, Regni nostri anno XXXV.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

N. 238.

Vilnae, 4.VII.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de lite inter Bohusz Tharuscha de districtu Grodnensi, subditum regis,
et nobilem Caspar, subditum ducis.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

Vilnae. 16.VII.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de tuguriolis demoliendis.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Probatur nobis observantia haec erga nos Illustritatis Vestrae, quod facturam se promittit, ut tuguriola demoliri iubeat, quae in iis locis aedificata sunt, de quibus adhuc ambigitur. Revera ita fieri necesse est, ut neutra sibi pars quicquam usurpet in controversa terra. Quare et nos idem nostris mandavimus, ut abstinerent ab aedificandis casis iisdem in locis. Neque habet a nobis mandatum ullum tenutarius^{a)} noster in Platel, ut fines metiatur. Integra servari omnia volumus in commissariorum utriusque nostrum adventum. Qui sunt a nobis designati Reverendus in Christo Pater, Magnificus et Venerabilis Dominus Venceslaus¹⁾ Episcopus, Ioannes Radivil, Capitaneus Samogitiensis et Pincerna Magni Ducatus nostri Lituaniae, Ioannes a Domaniow, Praepositus Vilnensis, Secretarius noster. Quos nos, Deo bene iuvante, ad constitutum per nos diem omnino sumus missuri, ita ut petit Illustritas Vestra, neque in alium diem ullum negocium hoc regundorum finium reiiciemus. Optamus Illustritatem Vestram diu esse incolumem et foelicem. Datum Vilnae, XVI Iulii, anno Domini MDVLI, Regni nostri anno XXXV.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

a) in ms. tenutariis.

1) Wierzbicki.

Vilnae, 20.VIII.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de non aedificandis tuguriolis.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, quibus reducit nobis in memoriam ea, quae scripseramus ad illam de non aedificandis tuguriis sive stativis in controversis locis, quod quemadmodum ab Illustritate Vestra fieri noluimus, ita nostris quoque edicturos nos esse receperimus, ut ne ante controversiam de finibus terminatam aliquid eiusmodi aude-

rent. Haec nos itaque, ut scribit Illustritas Vestra, recenti tenemus memoria, quodque ea satisfecerit postulatis nostris, gratum nobis est. Nos quoque ita, ut facturos nos receperamus, idem nostris mandavimus. Sed si quis contra nostrum mandatum venire ausus est, de eo prorsus ignoramus, ac dabitur a nobis opera, ut quomodo sit acta res, cognoscamus. Sed cum in foribus iam sit tempus, id, quo utriusque nostrum Consiliarii in rem presentem venturi ac de finibus disceptaturi sunt, per eos ipsos ut alis de rebus, ita de hac quoque cognosci poterit. Optamus Illustritatem Vestram bene valere et foelicem esse. Datum Vilnae, XX Augusti, anno Domini MDXLI.

Commissio propria Regiae Maiestatis.

N. 241.

Vilnae, 21.VIII.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
consiliariis terrarum Prussiae Regalis
confirmat sententiam scabinorum Gedanensium in causa et controversia
inter Wolfgangum Fulder et Bartholomeum Gerke, cives Gedanenses.
(Annexum: sententia scabinorum Gedanensium lata die 15.V.1541).
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 299.*

N. 242.

Vilnae, 12.IX.1541.

*Sigismundus II Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Gabrielem Tarlo (in ms. Tharlo) cum duobus equis mittit.
(m.p. regis subscriptum).
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 299.*

N. 243.

Vilnae, 4.X.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
legatum ducis in negotio finium regundorum se expectare significat.
Sigill. II.
(Adest versio germanica).
H B A, B 1, K. 299.*

*Sigismundus I etc.
Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.
Redire ad nos Commissarios per nos designatos rebus istic infectis
ante redditas nobis Illustritatis Vestrae cognoveramus. Quae res autem*

fuerit impedimento, quominus quod optabamus negotium hoc finium regundorum optatum sit exitum consecutum, nondum facti sumus certiores. Quod si quid a nostris citius erit ad nos allatum, nos nihilominus Illustritatis Vestrae legatum expectabimus, et pro officio nostro alteram illi aurem asservabimus. Utinam modo ea adferat, quae a nobis probari et accipi possint. Quae bene valeat et sit felix. Vilnae, IIII Octobris, anno Domini MDXLI, Regni nostri anno XXXV^{to}.

Ex commissione propria Sacrae Regiae Maiestatis.

N. 244.

Vilnae, 15.X.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro nobili Stanczik Ostrowski, qui bona Vitowo in districtu Nithboriensis emerat, contra quem subditus ducis sententiam obtinuit ad eadem bona ab ipso redimenda sine citatione veri possessoris.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

N. 245.

Vilnae, 17.X.1541.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum de tuguriis in confinibus ad fluvios Liepuna et Wieschiwietta, et apud villam Kocice etc.

Sigill. IV.

(Cum schedula de viis interdictis. Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

N. 246.

Vilnae, 7.XII.1541.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de absolutione legatorum ducis.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 299.

Vilnae, 13.XII.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
mittit litteras regis Ferdinandi.*

Sigill. II.

(*2 annexa: duo exemplaria litterarum regis Ferdinandi datarum 22.X.1541,
necnon exemplar litterarum eiusdem regis Ferdinandi ad Cameram
Iudicii Imperialis, germanice scriptarum 17.X.1540. Adest etiam versio
germanica epistole Sigismundi I.*)

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Heri nobis allatae sunt literae a Serenissimo Domino Romanorum etc. Rege, in quibus quae scripta sunt quoniam aequae ad Illustritatem Vestram atque ad nos pertinent, per cubicularium hunc nostrum eas Illustritati Vestrae mittendas duximus. Quae lectis illis per eundem suam quoque nobis de eo, quod faciendum censeat, sententiam perscribet, quo Illustritatis Vestrae rationibus pro eo, ut et volumus et debemus, tempori prospicere possimus. Quam bene et feliciter valere optamus. Vilna, XIII Decembbris, anno MDXLI. Regni nostri anno XXXV.

Ex commissione propria Sacrae Regiae Maiestatis.

a) Samuel Episcopus Plocensis et Vicecancellarius subscripsit.^{b)}

a)-b) manu Samuelis Maciejowski.

Annexum I:

Ferdinandus, divina favente clementia Romanorum etc. Rex.

Serenissime Princeps, Frater et Affinis noster Charissime.

Non dubitamus Serenitatem Vestram recenti tenere memoria se tum per litteras, tum Oratorem etiam suum apud nos iam pridem magnopere institisse, uti apud Sacram Cesaream et Catholicam Romanorum Maiestatem, fratrem et Dominum nostrum charissimum, promotione intercessioneque nostra tantum efficeremus, quo dilectio et Maiestas Sua Cesarea eam proscriptionis sentenciam, quae contra Illustrum Albertum Marchionem Brandenburgensem, Principem et consanguineum nostrum charissimum, a iudicio Camere Imperialis ratione terrarum Prussiae lata esset, pro communi quiete atque adeo utriusque nostrum liberorum bono et commodo abrogandam rescindendamque iam tandem statueret. Nosque proinde non nisi sincero affectu et perquam diligenter ea de re ad dilectionem et^{a)} Suam Maiestatem scripsisse atque ipsam causam etiam personaliter apud Maiestatem Suam agendam suscepisse, quemadmodum alias de eo ad Serenitatem Vestram litteras dedimus.

Cum itaque superiori tempore dilectionem et Maiestatem Suam Ratispone convenissemus, illud ipsum negotium apud eam summo studio et diligentia, sicuti Serenitati Vestrae polliciti eramus, prosequuti sumus

effecimusque, ut dilectio et Maiestas Sua nobis nunc per Procancellarium suum ad nos destinatum significaverit se intuitu tam arctae necessitudinis nostrae, qua cum Serenitate Vestra coniuncti essemus, atque etiam tam diligentis intercessionis nostrae, quam apud dilectionem et Maiestatem Suam hac in causa interposuissemus, benigne consensisse, bannum et proscriptionem illam quoad sui effectum ad annum unum suspendere, ut nimirum interim communes Commissarii, nempe a dilectione et Maiestate Sua duo, et a Serenitate Vestra pariter duo eligerentur nominarenturque, qui tanquam arbitratores et amicabiles compositores Maiestatis Sue, Sacri Romani Imperii et Serenitatis Vestrae et eius Regni nomine negotium hoc amicabili via componere terminareque omnibus modis conarentur. Iniungens nobis subinde dilectio et Maiestas Sua, ut de his Serenitatem Vestram certiorem faceremus, tum etiam suspensionem proscriptionis et sententiae ad annum duraturam iudicio Camere Imperialis et Administratori Ordinis Theutonicorum, quo illam observandam curarent,^{b)} insinuaremus, sicuti hec omnia iam non nisi diligenter exequuti sumus. Nihil enim nobis optatus est, quam per omnem occasionem, maxime autem in hoc ipso negotio, communes liberos nostros concernente, syncerum fraternumque plane animum nostrum Serenitati Vestrae testatum facere. Reliquum ergo est, ut Serenitas Vestra nos de designatione Commissariorum suorum quamprimum certiores reddat, ut pro parte Cesaree Maiestatis idem fieri atque adeo negotium maturius confici queat. Serenitatem autem Vestram diu feliciterque vivere et regnare ex animo optamus. Datum in oppido nostro Linczio, die XXII mensis Octobris, anno Domini MDXLI, Regnorum nostrorum Romani undecimo, aliorum vero decimo quinto.

Ferdinandus.

a) et supra lineam additum est.

b) sequitur expunctum: observand.

Annexum II:

Ferdinand etc.

Nachdem die römische kayserliche maiestät, unser lieber bruder und herr, auf jungst gehaltem reichstag zu Regensburg von küniglichen wirde zu Polen durch derselben botschafft fur marggraf Albrechten von Brandenburg zum hochsten angesucht und gebetten worden, das ir lieb und kayserliche maiestät die acht, darein bemelter marggraf Albrecht von wegen des herzogthums Preussen erklärt ist, aufheben wollte. Und ir lieb und kayserliche maiestät daruber von gemainen chur und fursten des römischen Reichs in rat befunden, dass ir lieb und kayserliche maiestät die wurckung der acht auf ain jar lang suspendiern und einstellen moge. Und mitlerzeit zu gutlicher hinlegung des irrthums, so sich zwischen kayserlicher maiestät von wegen des heiligen römischen Reichs und dem kungi von Poln obberurts herzogthums halben halten ist, von yedem tail zwen underhendlar gegeben werden, die allen muglichen vleiss furwenden sollen, solche irrung zu gutlicher ainighait und vergleichung ze bringen.

Hat uns darauf hochgedachte kayserliche maiestät durch derselben vicecanzler doctor Johan Nauis jezo erinen und berichten lassen, das ir lieb und kayserliche maiestät angezaigter suspension der acht und der

furgenommenen gutlichen underhandlung gnediglich statgeben wolle, und uns aufgelegt, Euch solches von irer kayserlichen maiestät anzeaigen.

Das verkhunden wir Euch hiemit in namen irer kayserlichen maiestät befehlendt, dass Ir die wurckung der acht gegen obbemelten marggraf Albrechten die zeit, wie obsteet, in suspens haltet. Davon beschicht kayserliche maiestät und unser gefelliger willen und mainung.

Datum Linz den 17. Octobris anno in 40^{ten}.
An das kaiserlich camergericht.

N. 248.

Vilnae, 21.XII.1541.

*Sigismundus I rex Poloniae
praelatis et canonicis capituli Varmiensis
pro Donato Saxone, cive Alsteinensi, qui tamen de falso suspectus est.
(Scriptum ex parte destructum).*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Venerabilibus Prelatis et Canonicis totique Capitulo ecclesiae cathedralis Warmiensis, devote nobis dilectis, gratiam nostram regiam.

Venerabiles, devote dilecti.

Donatus Saxo, oppidanus Alsteinensis, subditus Devoti[onum Vest] tra [rum],^{a)} supplicationem nobis scriptam misit, in qua bona sua incendio conflagrasse seque for.....^{a)} tunae inclemencia eversum esse pluribus verbis deploravit. Una etiam se mineras quasdam reperisse significavit, ex quibus non modo ad Venerabilis Collegii vestri ditionem, verum etiam ad terras nostras omnes Prussiae multum commodi pervenire posset, si coeptum opus ei perficere liceret. Quod minime licere querebatur propter creditorum importunitatem, qui calamitatis eius nullam rationem habentes, suum nihilominus acerbe exigenter. Nos et miserati vicem hominis, et quod spes publicae utilitatis ostensa videbatur, concessimus ei literas moratorias sive salvi conductus nostri, per unius anni spacium duraturas. Nunc perfertur ad nos aliter se rem habere, quam ille perscripsit. Quod si ita est et si falsam fuisse narrationem eius constiterit, quae est in iis ipsis literis, quas ei concessimus, perscripta, nos, quandoquidem fraus et dolus nemini patrocinari debet, si quid ille per fraudem impetravit, minime id valere volumus; [et praesen]tibus ^{a)} literis nostris eum quem dedimus ei salvum conductum cassamus et irritum esse decernimus, volumusque, ut Devotiones Vestrae, quarum subditus est, suam in eum iurisdictionem extendant atque eum ad satisfaciendum creditoribus suis cogant, si et in quantum falsam esse narrationem in literis salvi conductus, quas ei concessimus, probatum fuerit. Facturae Devotiones Vestrae pro gr[atia] nostra regal[i] atque officio suo. Datum Vilnae, vigesima prima die mensis Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo, Regni vero nostri anno trigesimo quinto.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

^{a)} foramen in charta.

Vilnae, 9.III.1542.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de querela inter duos ducis subditos, Matthiam Klais et Georgium Verner.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 299.*

Vilnae, 22.IV.1542.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.
Sigill. II.
(Adest versio germanica).
H B A, B 1, K. 299.*

Sigismundus etc.
Illustris [Princeps]^{a)} et [D]omine, Nepos noster Charissime.
De Illustritatis Vestrae moneta queruntur omnes Regni Ordines, ex
qua non minus incommodi ad Regnum pervenire affirmant, quam si
hostes, id quod absit, populabundi transirent. Quare missis ad nos Legatis
ex proximis Comitiis Piotrcoviae habitis supplicarunt nobis, ut serio
ageremus cum Illustritate Vestra, quo ab ea cudenda iam tandem abstine-
ret. Id si facere recusaret, ut ediceremus, ne quis ea in Regno et dominiis
nostris uti auderet. Cui nos tantae omnium voluntati cedere oportebit,
nisi Illustritas Vestra, quod toties iam ab ea postulamus, id semel facere
et a percutiendis nummis supersedere voluerit. Quare iterum atque iterum
hortamur Illustritatem Vestram, ut non modo nostrae, sed Regni etiam
totius, in cuius fide est Illustritas Vestra, tantae postulationis rationem
habeat, ac quod priores nos fecisse videt, ipsa quoque monetam cudere
desinat, ne, si secus fecerit, nos omnium Ordinum desyderio satisfacere,
Illustritatem vero Vestram ingens aliquod detrimentum, quod nolimus,
accipere sit necesse. Neque tamen impedimus, quominus veteri grano et
forma, secundum iura sua et privilegia, monetam cudi faciat. Bene valere
Illustritatem Vestram et foelicem esse optamus. Datum Vilnae, die XXII
mensis Aprilis, anno Domini MDXLII, Regni vero nostri XXXV^{to}.

^{b)} Sigismundus Rex subscrispsit.^{c)}

^{a)} verbum: Princeps et prima littera verbi:
Domine (litt. D) in ms. omissa sunt.

^{b)-c)} manu propria.

N. 251.

Cracoviae, 20.VII.1542.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

variis arduisque negotiis occupatum duci per litteras respondere se nondum potuisse, mox tamen per nuntium suum id facturum significat; nuptias filii dilatas esse.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Nepos noster Charissime.

Cum hoc tempore variis negociis et iis quidem arduis occupati simus, non potuimus Illustritati Vestrae litteris per hunc tabellarium eius respondere. Vixdum enim Serenissimi Domini Romanorum Regis Oratores absolvimus, cum alii venerunt et a Caesare Turcarum et a Vaywoda Valachiae. Ceterum perendie missuri sumus cubicularium nostrum, per eum et rescribemus et de iis, quae scire interest Illustritatis Vestrae, certiorem illam faciemus. Hoc modo Illustritati Vestrae significamus non esse illi properandum nuptiarum causa. Nam sunt in aliud tempus longius prorogate, de qua re Illustritati Vestrae copiosius per nostrum nuntium scribemus. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere quam diutissime. Datum Cracoviae, feria quinta post festum Divisionis Apostolorum proxima, anno Domini MDXLII, Regni nostri anno XXXVI.

^{a)} Ex commissione Sacre Maiestatis Regie.^{b)}

^{a)-b)} alia manu.

N. 252.

Cracoviae, 23.VII.1542.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de subsidio pecuniario a duce petito; de litteris Ferdinandi; de negotiationibus cum rege Daniae Christiano III.

Sigill. II.

(Cum 2 schedulis).

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quae de pecuniario subsidio scribit Illustritas Vestra, ea nobis gratum fuit cognoscere probaturque nobis plurimum, quod sano nostro consilio parere animum induxit. Fore speramus, ut non modo nihil ex eo detrimenti perveniat aut ad Regnum nostrum, aut ad Illustritatis Vestrae provinciam, verum etiam ea, quae scribit Illustritas Vestra emolumenta

potius accendant. Quod se ad nuptias Serenissimi filii nostri honestandas non gravatim esse venturam promittit, est et id nobis vehementer gratum.

Ceterum hoc Illustritatem Vestram latere nolumus per Oratores suos egisse nobiscum Serenissimum Dominum Romanorum Regem, ut prorogatio fieret nuptiarum ad proximum Epiphaniarum diem. Quae quidem Vratislaviae confici debebunt. Quo cum nos propter affectum et valetudinem nostram, incommodo presertim anni tempore, venire non possimus, tanto magis desyderamus, ut presto adsit Illustritas Vestra Serenissimo filio nostro atque cum eo una Vratislaviam proficiscatur. Rem nobis multo gratissimam factura.

Habuerunt autem iidem isti Oratores mandata a Serenissimo Rege suo de causa Illustratis Vestrae, quae, ita ut nobis in scheda obtulerunt, descripta Illustritati Vestrae mittimus. Locum et tempus^{a)} designari a nobis voluerunt, ubi et Regiae Maiestatis Romanorum et nostris una Commissariis conveniendum sit. Illud insuper addiderunt, cum in manu sit Serenissimi Domini Romanorum Regis, quos velit ex parte Imperii dare Commissarios, non alios Maiestatem eius daturam, quam quos ipsi elegissemus. Quod cum ita nobis denunciassent, non visum est nobis, nisi bene deliberatis respondere, quod nos per litteras nostras facturos recepimus. Ita enim existimabamus ex re fore, ut ea de re prius Illustratis Vestrae sententiam cognovissemus. Quam ut nobis celeriter perscribat, praesentibus ab ea postulamus, quo et de Commissariis per nos eligendis et de loco ac tempore illis constituendo quid illa sentiat, tempori cognoscere possimus.

Ex litteris Serenissimi Domini Danorum Regis illud perspicere licuit, quod neque a pace, neque^{b)} ab induciis longioribus, abhorruerit. Quominus autem desyderio nostro satisfactum sit, per alios stetisse. Dat ille nostris liberam in omnes ditiones suas navigandi potestatem, modo ne progrediantur ulterius, neve hostibus eius necessaria suppeditent. Gratum est nobis quod offert, sed non multum ea re nostros homines sublevatos iri videmus. Quibus si commertio cum iis, qui sunt inferioris Germaniae, fuerit interdictum, multum ex hoc ad illos perventurum incommodi dubium non est. Neque vero nos nostrorum tantum movent incommoda, multo vero magis ea, quae ad universam Rempublicam ex hoc civili christianorum bello redundant discrimina.

Nam si ullo alio tempore, hoc maxime fraternalis omnium christianorum Principum animis et mutua inter eos concordia opus foret. Cum Serenissimi Domini Romanorum Regis Oratoribus ea, quae scripsit ad nos Serenissimus Daniae Rex, communicavimus atque ab eis postulavimus, ut Serenissimo Domino suo persuadere conarentur, quo pacem inter Serenissimum Regem Daniae et Illustrissimum Principem Palatinum Rheni conciliaret. Quod idem per litteras nostras facturos nos esse recepimus. Idipsum ut curet diligenter apud Serenissimum sacerum suum Illustritas Vestra, eorum, quae impendent Reipublicae Christianae, periculorum et discriminum ratione habita, utque Maiestatem eius ad pacem et concordiam amplectendam sedulo hortetur, magnopere ab Illustritate Vestra postulamus. Nam praeterquam quod nobis rem gratam fecerit, de Republica quoque Christiana praecclare merebitur. Quod si hoc obtineri non posset, contendat tamen et elaboret Illustritas Vestra, ut saltem reperiatur aliqua ratio, qua nostris hominibus in Germaniam inferiorem proficisci liceat. Quibus si negatum hoc sit, multum ut accipient detrimenti necesse est. Cuius rei author ut sit Serenissimus Dominus Daniae Rex, non esse constitutae inter nos amici-

tiae videtur. Cupimus Illustratatem Vestram diu esse salvam et incolumem. Datum Cracoviae, die solis post festum Beatae Mariae Magdalena proximo, anno Domini MDXLII, Regni nostri anno XXXVI.

c) Sigismundus Rex subscripsit.^{d)}

a) sequitur expunctum verbum: nobis.

b) in margine.

c)-d) manu propria.

Schedula adiuncta I:

Responsum ad litteras Serenissimi Domini Daniae Regis, his nostris factum, Illustratas Vestra causa nostra per occasionem primam ut transmittat, ab illa petimus.

Schedula adiuncta II: Ex litteris regis Ferdinandi.

Denique confecto hoc nuptiarum celebrandarum negocio atque ad bonum optatumque finem perduto, Consiliarii nostri prefato Serenissimo Regi Poloniae exponant nos Serenitatis Suae litteras, quas ad nos de illa controversia, quam Illustris Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis etc. ratione terrarum Prussiae cum Sacro Imperio habet, dederat, tunc cum Spirae in Comiciis essemus, accepisse egisseque cum Principibus, Statibus et Ordinibus dicti Sacri Imperii, adeo ut in arbitrium nostrum posuerint, ut Sacrae Caesareae et Catholicae Regiae Maiestatis, fratribus et Domini nostri charissimi, nomine locum et Commissarios ex parte ipsius Imperii ad huiusmodi negotii tractationem compositionemque nominare deputareque possimus. Nos itaque, ut qui differentiam illam tollere et Serenitati Suae per omnem occasionem gratificari cupiamus, voluisse prius id Serenitati Suae significare ab eaque locum et tempus ei non incommodum ante intelligere, quam quicquam in eo statueremus. Quare Consiliarii nostri curabunt a Serenitate Sua mentem ipsius de loco et tempore ad huiusmodi tractationem designando cognoscere et se edoceri, negotium tamen eo dirigentes, ut locus omnino extra limites Regni Poloniae alicubi in Superiori vel Inferiori Lusatia aut Ertfordiae deputaretur. Tempus vero non ante quattuor vel etiam quinque menses statuatur. Sicuti praefati Consiliarii nostri haec omnia apposite, apte etc.

N. 253.

Cracoviae, 23.VIII.1542.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Martino Woytkowicz, ut ei profugi extradantur.*

Sigill. IV.

H B A, B 1, K. 299.

N. 254.

Cracoviae, 7.IX.1542.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

postulat liberationem subditi cuiusdam palatini Plocensis [Felicis Srzeński], qui innoxius in vinculis tenetur. Mulier Neudenburgensis iam libera dimissa a capitaneo regis.

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

N. 255.

Cracoviae, 8.IX.1542.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de lite inter Andream Kierski et Felicem Srzeński, palatinum Plocensem.

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 299.

N. 256.

Cracoviae, 23.XI.1542.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litteras ducis se accepisse, rem ad Comitia Regni reiecissem nuntiat; de promisso adventu ducis ad nuptias filii [Sigismundi Augusti] se gaudere.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 299.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem et omne bonum.

Litteras Illustritatis Vestrae legimus, quae quoniam deliberationis indigent, rem ad Comitia Regni reiecimus. Ubi habita cum Senatoribus Regni nostri consultacione, responsum Illustritati Vestrae scribi curabimus. Quod Illustritas Vestra tam alacriter se venturam ad Serenissimi filii nostri nuptias cohonestandas promittit, est nobis pergratum. Iam itaque certus illis dies constitutus est Cracoviae^{a)} pridie Nonas Maii. Ad quem ut se paret, quo nuptiis, ita ut pollicetur, interesse queat, magnopere postulamus. Nam nisi grave impedimentum aliquod extiterit, ad eum diem nuptias futuras dubium non est. Optamus Illustritatem

Vestram diu esse foelicem et incolumem. Datum Cracoviae, XXIII Novembris, anno Domini MDXLII, Regni nostri anno XXXVI.

b) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{c)}

a) Cracoviae *in margine*.

b)-c) *alia manu*.

N. 257.

Cracoviae, 20.I.1543.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*nuntiat se mediationem Georgii Ziabka, Regni Bohemiae procancellarii,
apud regem Ferdinandum postulasse in causa proscriptionis ducis
abrogandae.*

Sigill. II.

(Adiuncta schedula: verba Ferdinandi ex litteris Ziabka).

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem plurimam.

Quae cura vehementer angit Illustritatem Vestram, eadem et nos habet solicitos. Sunt enim nobis ea curae, quae ad tranquillitatem Illustritatis Vestrae pertinent. Quare nullam occasionem praetermittimus Illustritatis Vestrae rationes adiuvandi. Cum esset Legatus apud nos Magnificus Georgius Ziabka, Regni Boemiae Procancellarius, ab eo quoque postulavimus, ut ageret cum Serenissimo Domino Romanorum Rege, quo posset Illustritas Vestra una nobiscum ista non levi sollicitudine liberari. Qui quae responderit nobis, ex particula literarum, quam descriptam Illustritati Vestrae mittimus, cognoscere poterit. Apud hunc itaque coeptum negocium persecui conabimur, neque nisi perfecta re conquiescemos. Ac cum multae cum eo nobis causae necessitudinis intercedant, bona spe sumus facturam eius Maiestatem, ut hac in re nobis gratificetur. Vestra tamen Illustritas ipsa quoque sibi non desit et per eos, quos necessitudine aliqua sibi habet devinctos, contendat et laboreret, ut tanto minore negocio quod volumus obtineri queat. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum Cracoviae, XX Ianuarii, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVI.

Ex commissione propria Regiae Maiestatis.

Adiuncta schedula:

Caeterum quod ad decretum proscriptionis Illustris Alberti Marchionis Brandenburgensis etc. attinet, non immemores sane erimus, iuxta priorem oblationem et promissionem nostram in iis, quae Nurembergae propediem habebuntur Comitiis, apud Sacri Romani Imperii

Principes et Ordines diligenter agere operamque et authoritatem nostram, quanto possumus studio, interponere, ut proscriptionis decretum vel abrogetur, vel saltem longius suspendatur, totumque negocium per Commissarios aliquot utrinque constituendos amicabiliter componatur et decidatur.

N. 258.

Cracoviae, 28.I.1543.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de Sebastiano Sobek, symphoniaco fugitivo.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps et Domine, Frater et Consanguinee noster Charissime ac Honorande, salutem et omnis boni incrementum.

Sebastianus, qui idem Sobek vocatur, Magnifici Nicolai Volski, Castellani Sandomiriensis, Serenissime matris nostre Curie Magistri, servitor ac subditus, clam recessit hiis preteritis diebus ab ipso Domino suo. Quem ille ab ineunte aetate in curia sua educavit et in arte symphoniae ita erudiri apud bonum magistrum curavit, ut par non postremis magistris censeri possit. Discessit autem tum mobilitate nature, quo vicio genus hoc hominum plerumque laborat, tum metu animadversionis in se ob erratum quoddam, cuius illi venia datur. Ferunt autem illum contulisse se isthuc in Prussiam, recta ad Montem Regium, et visum isthic esse. Et scripsimus nos quidem iam antea ad Vestram Illustritatem, ut hunc fugitivum, si isthic esset, dari iuberet ei, qui ad reposendum illum missus fuit.

Quamobrem, si inquisitor ipse isthic apud Vestram Illustritatem non fuit, neque perfuga iste sit ei exhibitus, postulamus ab Illustritate Vestra, ut sive is in curia illius, sive apud quemcumque officialem aut subditum Vestre Illustratis sit, dari et per manus tradi illum huic presentium ostensori, Nobili Stanislao Lesczinski, aulico nostro, iubeat. Rem nobis vehementer gratam factura. Non mediocriter enim de isto symphoniaco recuperando solliciti sumus. Etenim opera illius persepe usi sumus et magisterio suo in hoc musice genere plurimum oblectamur, et idcirco illum ex numero servitorum nostrorum reputamus. Cupimus sane, ut in hoc Vestra Illustritas pro sua erga nos benevolentia et amore fraterno gratificari nobis non gravetur. Commisimus autem huic aulico nostro nonnulla Vestre Illustrati de mente nostra referre. Cui ut fidem adhibeat, ab illa postulamus, eamque salvam ac incolumem diu et semper felicem optamus. Cracoviae, die XXVIII Ianuarii MDXLIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 259.

Cracoviae, 13.IV.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
agit gratias de transmissis Daniae regis [Christiani III] litteris deque
notitiis ad Livoniensium molimina spectantibus.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem plurimam et omnia fausta ac prospera.

De transmissis ad nos Serenissimi Danorum Regis litteris deque eo, quod nos certiores fecerit, quid Livonienses moliantur, agimus Illustritati Vestrae gratias. Cum praesens hic aderit, quod brevi futurum speramus et optamus, uberius his de rebus cum Illustritate Vestra conferemus. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae, XIII Aprilis, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.

N. 260.

Cracoviae, 3.VI.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de controversia ob fines terrarum ducis et bona Ioannis Działyński.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 261.

Cracoviae, 15.VI.1543.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de commutatione bonorum hereditariorum Petri Dameraw.
(m.p. regis subscriptum).*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

N. 262.

Cracoviae, 16.VI.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime. Quae existant incommoda ex aucta adeo et multiplicata moneta, ex

responso nostro, quod scriptum Illustrati Vestrae misimus, abunde potuit cognoscere. Crescit enim precium rerum omnium, dum crescit aestimatio aureorum, ad quorum rationem vendi omnia consueverunt. Tanta autem est nunc auri caritas propter hanc monete copiam, ut vix eciam reperiri queat. Sed nihil est necesse ea repetere, quae prius Illustrati Vestrae scripta misimus. Porro quod tantopere instat Illustritas Vestra, ut ne quid praepropere de moneta illius statuamus. videmur nos hominibus nostris diutius etiam, quam res postulabat, cunctati esse, neque ulla res alia tantis clamoribus a nobis efflagitata est, quam ut quacunque ratione efficieremus, ut Illustritas Vestra a cudenda moneta persederet.

Si fas esset nobis Comitiorum decreta mutare, pro eo animo, quo sumus erga Illustritatem Vestram, faceremus non inviti, ut quod illa postulat, in ea, quae proxime habebuntur, in Regno nostro Comitia deliberationem nostram reiiceremus. Sed facile illa perspicere potest, cum in hac temporum difficultate studiis nostrorum hominum conciliatis opus in primis habeamus, quam ea nobis adversa essemus habituri, si qua de re per omnes Ordines in Comitiis tantopere laboratum est, ea executioni mandata non esset. Quare boni consulat Illustritas Vestra, si quod non licet, id illa postulante non facimus. Nihilominus ut cognoscat nos quoad possumus Illustrati Vestrae libenter gratificari, executionem decreti Comitiorum ad diem usque Divo Bartholomeo sacrum differemus. Intra quod tempus nisi monetam Illustritas Vestra cudere desierit, nos iam facere amplius non poterimus, quin quod tanta omnium voluntate maioribus in Comitiis Regni nostri decretum est, id debite executioni mandemus. Bene valere Illustritatem Vestram optamus. Datum Cracoviae, die XVI mensis Iunii, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

^{a)} Sigismundus Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 263.

Cracoviae, 16.VI.1543.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps et Domine, Frater noster Charissime, salutem et amorem fraternum.

Scribens ad nos Illustritas Vestra de negocio cudende monetae, exponit nobis per litteras suas eas rationes, que ad incommodum rerum suarum vergerent, si ad diem Sancte Margarete a cusione monete desisteret, commonetque nos promissi nostri, ut quod coram polliciti ei sumus, nunc rerum suarum exigente necessitate, impetremus Illustrati Vestre a Serenissimo Domino patre nostro prorogationem temporis

monetae adhuc cudente usque ad Comitia Regni nostri proxima. Et promissi quidem nostri nos memores sumus cupimusque Illustrati Vestre in hiis, quae citra offensionem decretorum publicorum fieri possent, pro virili nostra gratificari. Sed res, quam postulat Vestra Illustritas, eiusmodi est, ut si concederetur ei, gravissimas querelas et clamores acerbissimos omnium Regni nostri Ordinum adversum paternam Maiestatem et contra nos etiam commoveret.

Quererentur etenim, prout sepius queruntur, subditi nostri de Maiestate Sua: executionem conventionalium decretorum per illius Maiestatem nullam fieri. Res hec maior est, quam ut a nobis et Serenissimo patre nostro in gratiam Vestre Illustratis prestari queat, decreto Generalis Conventus in contrarium obstante. Nichilominus tamen nos, cum Serenissima matre nostra Domina Regina Poloniae, apud paternam Maiestatem effecimus, ut ultra prefinitum Divae Margaretae diem longioris temporis spacium ad proximum Sancti Bartolomei festum produceretur. Nunc quod fieri potuit, Vestra Illustritas accipiat et boni aequique consulat, ac voluntati Maiestatis Suae communique ac concordi omnium Regni nostri Ordinum sententiae non repugnet. Ceteris in rebus, racionibus Regni nostri non incommodantibus, que nostre facultatis fuerint, Vestre Illustrati volumus libenter gratificari. Quam diu valere et semper felicem esse ex animo desyderamus. Datum Cracoviae, die XVI Iunii, anno Domini MDXLIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 264.

Cracoviae, 16.VI.1543.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.*

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 300.

Bona etc.

Illustris Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem et omne bonum.

Acceptis literis ab Illustritate Vestra et cognito ex hiis desiderio illius, egimus cum Sacra Regia Maiestate, coniuge ac Domino nostro honorandissimo, ut permissu Suae Maiestatis liceret illi cusionem numerorum ad proxima Generalia Regni nostri Comicia continuare. Qua in re id nobis respondere eius Maiestas dignata est, quod permittit eidem Vestre Illustrati cusionem ipsam monete continuare, sed non longius quam ad festum Divi Bartolomei proximum. Longioris temporis prorogationem concedere se non posse dicit Maiestas Sua, eo quod illi obstet publicum Conventus Generalis ea de re decretum. Voluitque Maiestas Sua Sacra, ut id ad Vestram Illustratatem adscriberemus, ut Illustritas Vestra intra hoc concessum tempus talem monetam cudi faciat, que in valore et in pondere suo inferior non sit moneta Regni nostri, et

que ad detrimentum Regni et dominiorum Maiestatis Suae non redundet, ne regnicole et subditi Maiestatis Suae et Maiestatem Regiam et Vestram Illustritatem de monetae improbitate possent accusare et inculpare. Quamobrem Vestra Illustritas cum hac Maiestatis Sue voluntate velit congruere. Quam sanam ac incolumem esse desideramus. Cracoviae, die XVI Iunii, anno Domini 1543.

^{a)} Bona Regina subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 265.

Cracoviae, 1.VIII.1543.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de irruptione quorundam hominum temerariorum ex Prussia Ducali
in terras Bonae reginae, Siemno appellatas.*

Sigill. II.

HBA, B 1, K. 300.

N. 266.

Cracoviae, 1.VIII.1543.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de damnis a subditis ducis bonis suis illatis queritur.

Sigill. X.

HBA, B 1, K. 300.

Bona etc.

Illustris Princeps et Domine, Affinis Charissime, salutem et felicitatem.

Cum esset Vestra Illustritas apud nos in nupciis Serenissimi filii nostri, Regis Poloniae, obtulit sese nobis bene ac humaniter se gerere velle et bonam vicinitatem nobiscum servare inter utriusque nostrum confinia bona. Quod nos ita fore credebamus. Verum spe ista frustramur. Hostilem etenim in modum inferuntur nobis damna ex dictione Vestre Illustritatis. Nam inicio mensis Iunii preteriti subditi illius, Olexiae Scultetus, Petrus Podwoyski, et Gyurgi Sudzeykowicz, tuguria nostra, iussu Sacrae Regiae Maiestatis per nostros in fundo soloque nostro Lituanico pro receptu Commissariorum ad fines regundos mittendorum extructa, incenderunt et exusserunt, vias veteres usitatas succisis silvis obstruerunt et impermeabiles reddiderunt, pontes vetustos disiecerunt, vias novas, quibus laboratores silvarum mercem ligneam in tempore tenute Domini Zabresinski educebant, pro viis veteribus efficere conantur et eisdem subditi Vestrae Illustritatis commeant, pontes novos construunt in eis locis, in quibus antea non fuerunt.

Quae res vergit ad bonorum nostrorum preiudicium ac detrimentum. Insuper Capitaneus ac Factor Vestrae Illustritatis de Insterburgk literas inhonestas ac indecentes scripsit^{a)} Capitaneo nostro in Siemno,^{b)} famosis verbis eum perstringens, arguens illum dolose fraudulenterque agere, vix hominem eum prae se reputans, se autem glorianter efferens de suis iusticiis. Impingit nostro Capitaneo ea, quae solus ipse facit, culpam suorum factorum in illum conferens. Hinc itaque dubium nullum esse debet, quin haec subditi Vestre Illustritatis illius imperio faciant. Non putamus hec de mente ac imperio Vestre Illustritatis fieri, quae nobis egregiam voluntatis erga nos suaे significationem coram dederit de conservanda nobiscum a se atque a suis bona vicinitate.

Ex parte nostra nichil sane fit adversus Vestram Illustritatem et bona illius, sed tranquille nos et cum nostris factoribus subditisque gerimus, ea tenentes, quae ex antiquo nostra sunt, expectantes, uti constitutum est, legitimam de finibus determinationem per Commissarios fiendam. Submonemus itaque promissi sui Vestram Illustritatem postulamusque ab illa, coercent capitulo hunc Capitaneaum suum ab eiusmodi insolentiis imperetque illi, ne quidquam in finibus ipsis novi ordiatur, sed ut pacifice et sine ulteriori iniuriarum irrogatione se ad decisionem controversiae conservet. Quod deinde Commissarii utrinque designati decernent et constituent, id ratum habebimus et tenebimus firmiter. De incendiariis autem et malefactoribus subditis suis pro eorum demerito iusticiam nobis debitam Vestra Illustritas faciat. Fecerit rem iusticia et aquitate dignam et bonae vicinitati necessariam. Bene et feliciter valeat Vestra Illustritas. Datum Cracoviae, prima die Augusti, anno Domini MDXLIII.

c) Bona Regina subscrpsit.^{d)}

a)-b) *in margine.*

c)-d) *manu propria*

N. 267.

Niepolomice, 15.VIII.1543.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de pace regis Daniae Christiani III cum Burgundis non facta; de re monetaria; de damnis bonis Siemno illatis.

Sigill. II.

(Adest etiam exemplar et duae versiones germ., ex quibus una brevior).

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime, salutem et felicitatem.

Quod nobis significavit Illustritas Vestra Serenissimum Regem Danie cum Burgundiis in gratiam redigi non potuisse, et utrinque ex Kampoenensi civitate, quo ad componendas dissidiorum causas ventum erat, infectis rebus discessum esse, dolenter et moleste tulimus, quod hoc

tempore, quo christianorum mutua pace, concordia et veluti syncretismo contra communem hostem eumque potentem opus erat, sic inter se audiamus homines christianos vires suas atterere, quas expediebat in christiani nominis hostes cum aliorum viribus coniungi. Et nos quidem, uti recte Illustritas Vestra iudicat, qui pacis semper et tranquillitatis studiosissimi fuimus, non dubitaremus authores hortatoresque esse utriusque parti ad pacem et concordiam amplectendam, si qua ratione id nobis agrediendum esset, Illustritas Vestra perscrispisset, et utra pars prior convenienda, ut saltem ab alterutra parte nobis significatio daretur, non ingratum eum nostrum conatum illi futurum. Nollemus enim nos temere in eam curam ingerere, quae minus ad nos, quam ad illos, quorum est propria, pertinet. Nam iam semel et per legationes et per litteras cum utraque parte abunde actum a nobis de pace firmando esse arbitramur. Verum surdis cecinisse videmur. Nihil enim responsi nobis utrinque datum est. Tamen iterum tentaremus, si quid autoritate nostra apud utrosque forte efficere queamus; si id illis non displicere arbitrabimur, qua de re si quid nobis consilii dare velit Illustritas Vestra, eo non gravatim utemur.

Quod a nobis Illustritas Vestra petit, ut ad ferias usque Sancti Michaelis malleo illam monetario uti pateremur, id a nobis etiam, antequam esset in Lituaniā profectus, Serenissimus filius et Serenissima coniunx pro Illustritate Vestra rogaverunt. Et quamvis per legem publicam nobis non licere arbitrabamur, ut ulla prorogatio cudende monete fieret, tamen dedimus hoc et Serenissimo filio nostro et Illustrati Vestre, ut dimidium eius temporis, quod a nobis petebatur, concederemus, quo rem monetariam Illustritas Vestra absolveret. Nunc idem a nobis petiente^{z)} Illustritate Vestra, promovente eius petitionem Serenissima coniuge nostra, memores etiam eiusdem petitionis Serenissimi filii nostri, patimur, ut ad festum usque Sancti Michaelis Illustritas Vestra cudende monete potestatem habeat, quamvis quomodo id Senatores nostri a nobis accipient et quomodo Reipublice commodis consulemus, veremur. Disputare in praesentia nolumus, quantum nostris hominibus incommodi et detrimenti multiplicata hec moneta attulerit. Sed certe firmissimis argumentis, quas^{z)} nobis Senatores nostri in Senatu recitare consueverunt, adducti ad tollendam monete percutiende potestatem sumus. Scimus quidem, quid Illustrati Vestre, quid Regno Reique Publice debeamus, ut omnino privato nostro affectui anteponenda nobis Reipublice charitas sit, prioraque et antiquiora nobis esse commoda publica quam vel nostra ipsorum vel eius, quem ob necessitudinem charum habemus, debent. Proinde quoniam id nobis testatum, probatum confirmatumque est in moneta augenda ingens damnum publicum augeri, postulamus ab Illustritate Vestra, ut hoc iam tempore, quod ad ferias Michaelis ei concedimus, omnes rationes monetarias absolvat et a cudenda moneta posthac supersedeat. Interim vero hortamur Illustratatem Vestram, diligenter curet, ut eo tempore, quod illi ad eam cudendam a nobis conceditur, probaque et iusta moneta cudatur. Relatum siquidem nobis est monetarios illius, propter celeritatem fortassis, parum diligentibus esse in illa examinanda. Quod si esset, gravi incommmodo subditi nostri gravarentur et novarum querimoniarum occasiones enaserentur.

Accusat apud nos Illustritas Vestra Praefectum nostrum et subditos Symnenses, quae bona sunt in Lituania confinia arci illius Insterburgensi, qui vias veteres frondibus et arboribus succisis oppleverint, pontes di-

siecerint, novas et inusitatas vias^{a)} excogitaverint, arbores exciderint, finesque transgressi sementem in Ducatu Illustritatis Vestre fecerint. Atqui omnia hec multo ante nostri fieri in Ducatu nostro Lituania a Prefecto et subditis Insterburgensibus nobis nunciarunt. Quoniam autem utrinam, nostri-ne an Illustritatis Vestre homines veriora defferant dubium est, statuimus hinc ex aula nostra hominem aliquem dignum fide et industrium illhuc mittere, qui adiunctis sibi indigenis aliquot Lituaniis, iudicii et fidei incorrupte hominibus, cognoscat et revideat, nostri-ne hominibus Illustritatis Vestre, an Illustritatis Vestre homines nostris iniurii sint. Designavimus autem huic cognitioni diem quintum Octobris, cui ut intersit etiam Prefectus Syemmensis iussimus. Itaque etiam ut ad eum diem Illustritas Vestra aliquem ex aula sua probum virum et aliquot suos indigenas cum Prefecto Insterburgensi mittat, quo cognoscatur, utrinam veriora ad nos Illustritatemque Vestram deferant, hortamur. Quod si nostri falsum ad nos detulisse comperientur, dignas vanitatis sue penas nobis dabunt. Hoc idem facturam Illustritatem Vestram non dubitamus. Quam bene valere cupimus. Datae ex Niepolomicze, XV die mensis Augusti, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

^{b)} Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.^{c)}

a) *verbum: vias supra lineam scriptum est.*

b).c) *alia manu.*

z) *sic in ms.*

N. 268.

Bielsko in Lithuania, 17.VIII.1543.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ducem salutat, mittit litteras parentum.
(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

(Adest schedula, in qua rex duci, qui desiderio Petri Dameraw satisfecit, gratias agit).

H B A, B 1, K. 300.

N. 269.

Niepołomice, 23.VIII.1543.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.

Sigill. X.

(Adest annexum de querimoniis ex utraque parte. Exstat etiam versio germanica).

H B A, B 1, K. 300.

Bona etc.

Illustris Princeps, Domine, Affinis noster Charissime, salutem et gratificandi studium.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, quibus nobis gratias agit, quod a Serenissimo Domino coniuge nostro charissimo prorogationem illi monetae cudenda impetraverimus. Fecimus id et libenter et diligenter. Cupimus enim Illustritatem Vestram nobis omni gratificandi officio obligatam reddere. Id quoque, quod iterum per litteras a Serenissimo Domino coniuge nostro petiit Illustritas Vestra, promovimus, ut scilicet ad ferias usque Sancti Michaelis potestas monetae cudenda illi fieret. Huic certe eius petitioni nostraque promotioni et aedictum^{z)} publicum et tot incommoda, quae ex multiplicata moneta ad homines nostros redundare dicuntur, obstabunt, tamen qua sumus in Illustritatem Vestram animi inclinatione, ausae sumus rem tanti momenti propter illam promovere. Unum illud iterum atque iterum ab Illustritate Vestra postulamus, ut, quod se facturam nobis recepit, operam det, ne moneta, quam inter hunc et Sancti Michaelis diem excudet, improba, vicia et iniqua excudatur, nam hoc curaturam Illustritatem Vestram sumus Serenissimo Domino coniugi nostro pollicitae. Ita enim nobis de Illustritate Vestra persuasimus nihil eam admissuram, quod publico incommodo hominum nostrorum fore arbitraretur. In caeteris etiam rebus omnibus honestis et licitis libenter et apud Serenissimum Dominum coniugem nostrum et apud eius Senatum postulata Illustritatis Vestrae promovebimus. Interim cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Nyepolomice, XXIII Augusti, anno Domini MDXLIII.

a) Bona Regina subscrispsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*

z) *sic in ms.*

Annexum:

Accepimus apud Illustritatem Vestram Praefectum nostrum ac subditos, bona nostra Symnensia incolentes, accusatos, quod ii in bonis illius Insterburgensibus nova quedam et insolita committere audeant, fines transgredi, vias innovare, veteres obducere, arbores excindere, sementem Illustritatis Vestrae terra facere et multis in rebus subditis illius iniurios esse. Quod si ita fieret, vehementer miraremur. Damus factoribus nostris mandata, ut et ipsi omnes fugiant occasiones offendendae Illustritatis Vestrae, et subditos nostros in officio contineant societatemque hominum ad amicitiam Principum accommodent. Sique vere delatos esse nostros ad Illustritatem Vestram, comperiemus, impune ne id auferant, curabimus.

Quamquam nos multo ante eadem haec, quae ad Illustritatem Vestram ab eius Praefecto deferuntur, ab hominibus illius in bona nostra committi et homines illius nostris iniurios esse inaudiverimus, ut nostrisve an Illustritatis Vestrae delatoribus fides habenda sit, incertum habeamus. Tamen ut rei veritas appareat, effecimus, ut Serenissimus Dominus coniunx noster unum ex aula sua virum integrum illuc mittat, qui cum aliquot indigenis cognoscat, utri utris iniurii sint, nostrive hominibus Illustritatis Vestrae, an eius homines nostris. Eo etiam, ut mittat suos Illustritas Vestrae, censemus. Videretur quidem nobis aequum, si brevior via ad Instenburgk^{z)} nostris pateret, quandoquidem id sine magno Illustritatis Vestrae incommodo esse dicitur. Quod si ab ea nobis concederetur, consuetum usitatumque concedere illam arbitraremur, nec in

eo nostros admodum accusatione dignos iudicaremus, si compendiosiore via in terra amica et socia sine incommodo uterentur. Tamen praeiudicare nos nihil volumus. Expectamus eorum, quos conspectores illuc et nos et Serenissimus Dominus coniunx noster misimus, ad sextam hebdomadam post festum Bartholomei illo venturorum, relationem. De quo Serenissimi coniugis nostri Maiestas ad Illustritatem Vestram scripsit.

N. 270.

Niepotomice, 24.VIII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de causa duorum consulum Gedanensium.*

Sigill. II.

(Adsunt 2 exemplaria versionis germ.).

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, in quibus nobis diligenter commendat cives istos, Consules Gedanenses, quos ut se coram nobis sisterent iussimus, commemoratque Illustritas Vestra ostendisse nos illi deprecanti spem veniae civibus illis dandae. Habet certe non mediocre pondus apud nos commendatio Illustritatis Vestrae, quemadmodum et haec Gedanensium vehementer profuit. Caeterum ut intelligat, quatenus illis a nobis venia donanda sit, culpam illorum brevibus commemorandam et describendam Illustritati Vestrae duximus.

Adducti certis rationibus, diem se coram nobis sistendi civibus illis diximus. Appetente die, que dicta illis a nobis erat, missus ad nos ab illis est Syndicus civitatis, qui quasdam contra nos ineptas et nostra Maiestate indignas rationes proferre cepit: non obligari ad sistendum eos, qui vocati sunt, ex forma citationis, in qua ratio non esset descripta, propter quam illis dies^{a)} diceretur, nolebantque, veluti quibus cum privato aliquo homine res esset, citationis vitio demonstrato, a causa absolvi. Nos et si cum consiliariis nostris vetus id et non inusitatum esse comperimus, ut subditi ad Maiestatem nostram, non redditia etiam facti ratione, evocentur, citationemque nostram validam fuisse iudicavimus, tamen non sine indignatione, adducti persuasione Senatorum quorundam, cum dies, quam illis dixeramus, non procul iam abesset, prorogavimus aliquandiu, dum Syndicus ad eos rediret dumque illi ad nos venire possent, alium illis diem se sistendi diximus. Qua adventante, ecce alium quendam Iacobum, Secretarium civitatis Gedanensis, mittunt, a nostrae Maiestatis iudicio absolvi, iudicium ad consiliarios terrarum Prussiae transferri petunt.

Hic nos certe non potuimus non indigno acerboque animo tantam istorum protervorum contumaciam ferre. Primum illos nobiscum contendere ausos non debere se nostrae citationis mandato parere, quod citatio non ad formulam scripta fuisse, quasi eorum istud iudicium esset, quibus nos formulis, quibus verbis mandata nostra scribere debeamus, an nobis non licet nudis et brevibus verbis declarare voluntatem nostram, velle nos, ut hic vel ille ad nos veniat, se sistat, causam dicat? eo nos devenisse, ut cives Gedanenses nobis legem scribendorum mandatorum nostrorum statuant? verba, quibus eos ad nos evocemus, praescribant? Tulumus id moderate in eoque preferendo clementia nostra regia usi sumus. Sed cum accessisset novum hoc et inusitatum propemodum in Maiestatem nostram commissum crimen, quod homines isti, Maiestatis nostrae oblii, sic elevare autoritatem nostram sunt ausi, ut nostrum iudicium despiciere, consiliariorum Prussiae appetere non dubitaverint, id vero nobis neutquam tolerandum est visum. Sic dimisimus illum, qui ab illis missus erat, ut omnino cogitationem de vindicanda indignitate hac nostra non dimiserimus et eos, qui diem non obiverint, contumaciae reos causa cecidisse iudicaverimus.

Sed posteaquam venit huc Illustritas Vestra, venerunt et consiliarii nostri Prusse interpellareque pro illis ceperunt. Non ostendimus eam spem Illustritati Vestrae solum, quam commemorat, sed re ipsa probavimus depreciationm, qua pro illis est usa Illustritas Vestra, vehementer illis profuisse. Nam totam hanc causam, qua illi ceciderant, in integrum restituimus et illius dicendae fecimus iterum potestatem illis in proximis Comitiis, quos iam damnare et iudicio peragere poteramus. Satis hic certe illis a nobis donatum est, ut quid petat Illustritas Vestra, nunc non intelligamus, nam non arbitramur velle eam, ut ne nobis liceat homines nostros ad nos accersere, ne ab eis, qui officiis civilibus pro nobis praesunt, rationem administratae civitatis repetere, ne denique nobis liceat victores istius tantae illorum pertinacie esse.

Nihil enim agunt aliud cives illi, quam ut nos vincant et ostendant se volentibus imperantibusque nobis non esse obligatos ad mandata imperiaque nostra capessenda. Illud profecto videtur fuisse Illustritatis Vestrae, ut admoneret cives officii sui maioremque nostram dignitatem esse ostenderet, quam illorum nescimus quas amicitias et societas, cum celebris quibusdam Germaniae civitatibus initas, quibus illos claros esse Illustritas Vestra commemorat. Quod etiam petit Illustritas Vestra, ut illis ante Comitia potius, quam in Comitiis, causam dicere permittamus, id neutquam nobis facere licet, siquidem ita decretum Senatus nostri factum est, ut frequenti Senatu de illis cognosceretur, ut iam nobis omnino haec actio publica, non privata nostra videatur. Nihilominus nos nihil indignum clementia et moderatione nostra regia faciemus, quin ita, uti recepimus Illustritati Vestrae, audita causa eorum, clementia nostra iudicium temperabimus. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum ex Niepolomycze, XXIIII Augusti, anno Domini MDXLIII, Regni nostri XXXVII.

Ex commissione propria Sacrae Regiae Maiestatis.

a) *in margine.*

N. 271.

Niepołomice, 25.VIII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut reddantur profugi ex Lithuania.*

Sigill. II.

(Schedula: querela nobilium Samogitiae).

H B A, B 1, K. 300.

N. 272.

Niepołomice, 27.VIII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum de profugis ex Samogitia reddendis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 273.

Niepołomice, 31.VIII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de profugis ex Lithuania restituendis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 274.

Dobrowoda, 8.IX.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de banno imperiali; de citatione civium Regiomontanorum Cracoviam.*

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

*Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime, salutem et
foelicitatem.*

*Significavit nobis per litteras Illustritas Vestra Excellentissimum et
Serenissimum Caesarem Carolum in Germaniam iisce diebus venisse.
Ostenditque commodum nunc tempus datum agendi cum illius Maiestate
de inducendo et antiquando edicto imperiali. Quod negocium quamvis
non minus ad nos, quam ad Illustritatem Vestram pertinet, ut non*

minori omnino nobis quam illi curae esse debeat, tamen recte facit Illustritas Vestra, quae nobis in memoriam commune hoc negocium reducere non neglexit. Nunc quidem existimamus Caesaream Maiestatem, quae in Germania rerum suarum satagere dicitur, cum exercitu esse occupatam, ut vereamur, an commode negocium nostrum hoc tempore aggredi expediat. Tamen quod habemus nunc privata etiam quaedam, de quibus ad Serenissimum Romanorum Regem vel mittere legationem vel scribere nos oportebit, maxima vel legationis vel epistolae nostrae pars in eo negocio conficiendo ut versetur, faciemus.

Quod citatos istos Regiomontanos attinet, qui post diffinitivam sententiam ab Illustritate Vestra latam ad nos Cracoviam pro die decima Septembbris sunt citati, quos citatos esse indigne fert Illustritas Vestra, quamvis autem crebrae istae sunt eius de iis appellationibus et provocationibus, quae ab Illustritate Vestra ad nos fiunt, querelae, tamen quod de eis, ut illa non ignorat, deliberatio totius nostri Senatus est facta, nihil nunc Illustratati Vestrae in universum respondemus. Unum hoc sibi de nobis persuadeat Illustritas Vestra volumus: nos nihil praeter privilegia, consuetudines et iura facturos unquam, sed peropus esse arbitramur, ut haec causa de appellationibus aliquando constituatur.

Quod autem citationes obsignatae in Cancellaria nostra contra illos sunt, id factum non miretur, quandoquidem vetus haec est et usitata in Cancellaria nostra consuetudo, ut sine quovis discriminē citationes, a quocumque allatae fuerint, obsignentur, quandoquidem ii, qui per eas in ius vocantur, liberam habent potestatem illegitimae^{z)} scriptas reiiciendi a iudicioque se subducendi. Caeterum de iis citationibus Regiomontanorum neque in hanc quicquam statuimus partem, sed fieri potuit, ut inter caeteras citationes hae quoque in Cancellaria nostra obsignatae sunt, non solent enim perlegi. Itaque qualis haec sit, non meminimus. Optamus Illustratatem Vestram bene valere. Datum in Dobrowoda, octava die Septembbris, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

a) Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.
Samuel Episcopus Plocensis propter egram manum
Regiae Maiestatis.^{b)}

a)-b) *manu Samuelis Maciejowski.*

z) *sic in ms.*

N. 275.

Vilnae, 29.X.1543.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
acceptit ducis litteras causam duorum civium Gedanensium commendantes
et, duce instante, ad patrem ea in re scripsit, quamvis demerita eorum
civium dignam animadversionem expostulare videantur.
(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

(Adest schedula, in qua rex se ad patrem scripsisse nuntiat. Adest
etiam versio germ.).

HBA, B 1, K. 300.

Gieranony, 3.XI.1543.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de nobili puero Podolecz, quem rex in servitium ducis addixerat; dolet
eum petulantem et pertinacem esse virtutemque et bonos mores
amplecti nolle.
(m.p. regis subscriptum).*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Wielawies, 11.XI.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de dilatione causae proscriptionis ducis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps ac Nepos noster Charissime.

Quae scripsit ad nos Illustritas Vestra de pacificatione, ea lecta quidem nobis sunt, sed neque satis adhuc expendimus, neque quemadmodum adgredi nos rem oporteat, deliberatum habemus. Nam praeterquam quod nemo fere Consiliariorum Regni nostri praesto nobis nunc est, etiam non satis ex sententia nunc valemus. Itaque reiciendam consultationem hac de re tam ardua putavimus, dum et ipsi Deo bene iuvante rectius valeamus ac quid rerum nunc agat Caesarea Maiestas cognoscamus, plures denique Regni Consiliarios ad manum habeamus. Cum quibus re communicata, quod esse e Republica Christiana videbitur, libenter statuemus.

Erit autem Illustritatis Vestrae scriptis ad nos litteris iterum nos eius rei admonere, si forte in mora esse aliqua videremur. Quam bene valere optamus. Datum in Wielawiesz, undecima Novembbris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tercio.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria
Samuel Episcopus Plocensis et Regni Vicecancellarius
propter egram manum Regis.^{b)}

a)-b) *manu Samuelis Maciejowski.*

N. 278.

Wielawieś, 15.XII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
res Danicas se ad Comitia Petricoviensia reiecssisse nuntiat.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Recte facit Illustritas Vestra, quod rerum Danicarum nobis memoriam reficit. Sed cum instant iam Comitia, visum est nobis de re tanta deliberacionem in nostrum felicem Piotrcoviam adventum reiicere. Dedimus negocium Reverendo in Christo Patri, Domino Samueli Macziejowski, Episcopo Plocensi et Regni nostri Vicecancellario, ut nobis oportuno tempore ea, que scripsit Illustritas Vestra, in memoriam reduceret. Simul ut ad Comitia venerimus, dabitur a nobis opera, ut et que ad Serenissimum Dominum Danie Regem et que ad ipsam Illustritatem Vestram pertinent, cure nobis fuisse cognoscat. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum in Wielawies, XV Decembris, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.

Samuel Episcopus Plocensis, Vicecancellarius Regni subscrapsit.^{b)}

^{a)-b)} manu Samuelis Maciejowski.

N. 279.

Wielawieś, 17.XII.1543.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
duce instantे, nuntium se misisse ad imperatorem [Carolum V] et ad
regem Romanorum [Ferdinandum] in rebus Danicis et in negotio
sententiae iudicii imperialis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Etsi paulo ante scripsimus Illustritati Vestrae de rebus Danicis deque sententia iudicii imperialis in iis, quae iam instant, Comitiis deliberare velle, quando tamen urget Illustritas Vestra et mora illi omnis longa videtur, quod res has celeritatis indigere putet, propter Comitia ad Calendas Decembres, quae proxime praeterierunt, Spyrae edicta, visum est nobis interea levem nuncium mittere cum litteris ad Imperatoriam

et Regiam Romanorum Maiestates. Si quid erit praeterea faciendum, de eo statim, ut Piotrcoviam Deo bene iuvante venerimus, deliberationem cum Senatoribus Regni nostri suscipiemus. Optamus Illustratatem Vestram bene valere. Datum in Wielawiesz, XVII Decembris, anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVII.

Ex commissione propria Regiae Maiestatis.

N. 280.

"*ex venationibus nostris apud fluvium Schessupam*", 20.I.1544.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Petro Dameraw.
(m.p. regis subscriptum).
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 300.*

N. 281.

Petricoviae, 23.I.1544.

*Sigismundus I rex Poloniae
consiliariis Prussiae
alicui petitioni ipsorum assentitur.*

*Sigill. II.
H B A, B 1, K. 300.*

*Sigismundus etc.
Reverendi, Generosi et Nobiles, sincere et fideles nobis dilecti.
Quae scripserunt ad nos Synceritates et Fidelitates Vestrae, grato
animo accepimus facturique sumus libenter, ut pro officio nostro regio
rationes illarum in tuto, Deo bene iuvante, collocemus, ac ne quid
detrimenti accipient, provideamus. Et quemadmodum res postulare vi-
detur, maturo et celeri consilio huic Synceritatum et Fidelitatum Vestra-
rum necessitati succurrere curabimus. Quos bene valere cupimus. Datum
Piothrcoviae in Conventione Generali, XXIII die mensis Ianuarii, anno
Domini MDXLIV, Regni nostri anno trigesimo septimo.*

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

Petricoviae, 18.II.1544.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de iterata prorogatione negotii de regundis finibus; adiungit exemplum litterarum imperatoris.

Sigill. II.

(*Annexum: Exemplum litterarum Caroli V die 28.I.1544 Spira datarum de negotio Danico et de proscriptione ducis Alberti.*)

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Significarunt nobis consiliarii Magni Ducatus Lituaniae se nequaquam posse ad designatum diem, de quo inter nos et Illustritatem Vestram convenit, ad fines regundos proficisci. De quo cerciorem reddendam Illustritatem Vestram putavimus, a qua postulamus, ut quem ad diem prorogari negotium hoc velit, nobis pe[scrib]at, ut certi iam aliquid cum Illustritate Vestra constituere possimus. Cui litterarum exemplum mittimus Caesareae Maiestatis, ad nos perhumaniter perscriptarum, ut quid illi sperandum sit intelligat. Quae bene valeat et sit foelix. Datum Piotrcoviae, XVIII Februarii, anno Domini MDXLIV, Regni nostri anno XXXVIII.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria

Samuel Episcopus Plocensis, Vicecancellarius Regni subscrispsit.^{b)}

a)-b) manu Samuelis Maciejowski.

Annexum:

Carolus Quintus, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus etc., Serenissimo Principi Domino Sigismundo Seniori Regi Polonie etc.

Accepimus litteras Serenitatis Vestre earumque contenta plene intelleximus, ac ut ad ea Serenitati Vestre respondeamus, non arbitramur obscurum esse, quanto studio pacem perpetuo exoptaverimus, quum id multa superiorum annorum acta plurimique a nobis initi tractatus ac federa testentur. Quorum quidem violacionem magno nostro cum dolore ac incommodo ab aemulis inimicisque cum nostre dignitatis, tum quietis communis Reipublice Christiane, nimium, proch dolor, sepe persensimus. Nam quod ad Illustrem Holsatiae Ducem, qui Regis Danie titulum sibi usurpat, pertinet, quo tandem animo nos ferre par fuit, quod citra ullam causam nullaque occasione provocatus, hereditariis ditionibus nostris Inferioris Germanie, aliis vicinorum impressionibus, nobis absentibus, graviter tum impetitis, ipse in Regis Francorum gratiam bellum ac hostilia sua sponte denunciaverit. Quam tamen iniuriam illi condonare non gravaremur, si quod in nos peccavit agnosceret atque ad meliorem mentem aequitatemque rediret, magis in hoc rationem habituri communis Reipublice Christiane quietis tranquillitatisque, quam quid illius culpa promereatur.

Quemadmodum etiam iis respondimus, qui de illo antea nobiscum egerunt. Nec Serenitatis Vestre in hoc arbitrium recusaremus, quippe cui etiam maiora concedere non gravaremur, nisi res ipsa exposularerit, ut si Dux ad nostram gratiam aequis conditionibus redire voluerit, his pocius in locis ea de re tractetur, ubi illi degunt, quorum de causa simul agitur, interesseve aliqua ratione potest. Porro Serenitatis Vestre studium, quod resarciente inter nos concordie peramanter demonstrat, laudamus ac in bonam partem exhortacionem Serenitatis Vestre ad pacem accipimus, quanquam sane apud nos ea opus non fuit, quum nihil aequa in tota vita nostra desideravimus, quam domestica inter Principes christianos pace constabilita, arma viresque nostras una cum ipsis ad tutelam communis Reipublicae contra hostes nominis christiani convertere.

Que vero Serenitas Vestra de Prussie negocio scribit, ea ad ipsos Imperii Ordines, sine quorum autoritate interpositum decretum abrogari nequit, precipue spectant. Apud quos tamen in gratiam Serenitatis Vestre quicquid a nobis fieri poterit, ob singularem eiusdem erga nos affectionem ac benevolentiam lubenter prestabimus. Quod superest, Serenitatem Vestram cupimus et diu incolumem vivere et feliciter regnare. Datum in civitate nostra imperiali Spira,^{c)} die XXVIII mensis Ianuarii, anno Domini MDXLIV, Imperii nostri XXIIII et Regnum nostrorum XXVIII.

Vester bonus frater
Carolus.

c) Spira in margine.

N. 283.

Petricoviae, 11.III.1544.

*Elisabetha regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae curiales.*

(Germ., m.p. *reginae subscriptum*).

Sigill. XI.

H B A, B 1, K. 300.

N. 284.

Petricoviae, 29.III.1544.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de prorogatione regundorum finium; de pecunia duci per thesaurarium
terrarum Prussiae numeranda.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

*Iam cum essemus in procinctu itineris, quod Varsoviam versus
Piotrcovia instituimus, allatae nobis sunt litterae Illustritatis Vestræ,*

quibus breviter respondere nos hoc tempore oportuit, alioqui si vacasset, prolixius responsuros.

Quod de finibus regundis nobis respondit Illustritas Vestra eam cognitionem submittere se nostrae voluntati, id gratissimo accipimus animo. Nec nos id volumus ab inicio, ut aliqua finium regundorum prorogatio fieret. Sed quoniam per nostros consiliarios edocti sumus incommodo eo tempore, quo statueramus, fines cognosci posse, de ea prorogatione cum Illustritate Vestra consulendum et constituendum putavimus. Quo tamen tempore fines hos cognosci volemus, cum primum cum consiliariis nostris rem, ut est, communicaverimus, reddemus per litteras nostras Illustratatem Vestram certiorem.

Pecuniam etsi non solemus Maidenburgo libenter dare, usibus nostris et necessitati publicae illam servantes, verumtamen ut commodemus Illustrati Vestrae, dedimus ad terrarum Prussiae Thesaurarium mandata, ut eam peccuniam Illustratati Vestrae illic numeret. Cupimus Illustratatem Vestram bene valere. Datum Piotroviae, XXIX mensis Martii, anno Domini MDXLIV, Regni vero nostri anno XXXVIII.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.

Samuel Episcopus Plocensis et Vicecancellarius subscrispsit.^{b)}

^{a)-b)} manu Samuelis Maciejowski.

N. 285.

Vilnae, 16.IV.1544.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
respondet ad ducis admonitionem, de sua versus uxorem affectione eum
persuadet.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus Augustus etc.

Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime, salutem et foelicitatem.

Accepimus litteras Illustratatis Vestrae, quibus abunde testatum esse vult suum erga nos affectum, studium et observantiam cupidique, ut admonitionem eius et iure subiectionis et nostrae mutuae coniunctionis profectam boni consuleremus, quamvis subvereri videatur, ne istae, ut et aliae litterae suae, parum utilitatis apud nos afferrent. Monet autem Illustritas Vestra, ut quum iam pestis cessarit, cuius causa nos huc receperamus, cum Serenissima consorte nostra commoremur, adducens in medium quid nos deceat, qui rumores seminentur et quid inde periculi accidere posset.

Certo sibi persuadeat Illustritas Vestra autoritatem et consilium suum apud nos multum ponderis multumque rationis habuisse et habere semper, nec assequi possumus, an aliquae litterae suae apud nos parum utilitatis attulissent. Ab eo enim tempore, quo inter nos noticia et officia intercesserunt (ut ingenue fateamur), coepimus Illustratatem Vestram plurimum amare. Proinde admonitionem istam non solum aequi bonique consulimus, verum eciam gracias non vulgares habemus, tribuimus enim

plus Illustritatis Vestrae prudenciae, quae cum aetate et rerum longiore usu crevit, quam nobis ipsis, qui aetate minores sumus.

Quod charissimam consortem nostram attinet, plane omnibus notum est, quanta vis pestifera urbem Cracoviensem anno superiore subito invaserit, ita ut relictis omnibus ferme impedimentis coacti simus ocyus fugere, nam in eo comitatu et hominum frequencia cum Serenissimis parentibus nostris nequaquam tuti esse potuimus. Serenissimam vero consortem nostram, quae tunc etiam ex adversa valetudine nondum plane convaluerat, non absque animi nostri molestia reliquimus apud Serenissimos parentes nostros. Nusquam enim honestius tutiusque relinquи potuit, cui nihil defuit, quod ad dignitatem commoditatemque illius Serenitatis pertinere videretur, sed fieri potest, ut si quid hac intercapedine loci et temporis ommissum existimaretur, brevi sarciatur. Quod tamen nostra causa factum esse nemo iudicabit, qui raciones nostras diligenter inspexerit.

Serenissimorum Principum Caesareae et Romanorum Regiae Maiestatum animorum alienationem non possumus non vehementer mirari, quum nullam hactenus causam praestitisse videamur. Quarum Maiestatum amore et benevolencia, sanguinis etiam et affinitatis vinculo contracta, nihil antiquius nihilque charius habemus, verum si quid nullo demerito nostro accideret, cogeremur aequo ferre animo et racionibus nostris non deesse.

Quid autem Principem quidve unumquenque hominem christianum deceat, ob oculos semper nobis est, sed nescimus an quispiam tam foelix sit, qui linguas hominum pronas ad malum effugeret. Dabimus operam, id quod hactenus fecimus, ut nullam obtrectandi occasionem admittamus nihilque prorsus in nobis desideretur, quod ad officium christiani Principis pertinere videretur.

Illud tamen reticere non possumus, quod dominia nostra longa amplaque sunt, quae nos interdum visere opportet, rebus nostris et subditorum nostrorum sic expostulantibus. Igitur ad rem negotiosam planeque difficilem astringi praemique videremur, si Serenissima consors nostra ubique tam longis, vadosis et incommodis itineribus nos sequi debeat. Postulant res nostrarae et subditorum nostrorum, ut huc atque illuc profisciamur. Quod si quando contigerit etiam Reipublicae causa, non statim nobis vicio dari debebit. Alioquin hoc demum esset vinculum et libertas matrimonio ipso multo gravior. Valeat Illustritas Vesta sana et foelix ac de nobis sibi semper optime persuadeat. Vilnae, 16 mensis Aprilis 1544.

a) Sigismundus Augustus Rex subscriptus.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 286.

Vilnae, 29.IV.1544.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de donatione bonorum Petro de Dameraw gratias agit, sed certiores ducem reddit donationem istam nondum esse de iure perfectam.
(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

N. 287.

Varsaviae, 7.V.1544.

Elisabetha regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de puerō, quem coniuge invito in servitium suum recipere non potest.
(Germ., m.p. reginae subscriptum).

Sigill. XI.

H B A, B 1, K. 300.

Iam ed. in versione germanica: W. Hubatsch, Europäische Briefe, p. 26.

N. 288.

Vilnae, 15.V.1544.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum de admonitione, quam bono recepit animo; pro armis missis
gratias agit.

(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Accepimus Illustritatis Vestrae literas, quibus agit nobis gratias, quod admonitionem suam bono acceperimus animo. Quod quidem fecimus alacri ac propenso animo, tribuentes omne illud prudentiae, affectui et necessitudini Illustritatis Vestrae erga nos, idque praestaturi sumus, quod superioribus literis nostris perscripsimus.

Arma, quae Illustritas Vestra misit, grato ac libenti animo vidimus ac probavimus, quae nobis maiorem in modum placuere. Habemus illi plurimas gratias, relaturi vicissim officiis nostris. Circa haec arma servatores isti Illustritatis Vestrae referent desiderium nostrum, id quod ex eis plenius cognoscet. Quam sanam et foelicem diutissime valere percurrimus. Datum Vilnae, die XV Maii, anno Domini MDXLIIII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 289.

Vilnae, 15.V.1544.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Conrado Truchsess (in ms. Troxus).

(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

N. 290.

Brok, 7.VI.1544.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Alexio de Waszily, qui ius se habere asserit ad hereditatem bonorum
Grabowko.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 291.

Brestae in Lithuania, 28.VI.1544.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de sententia consiliariorum Regni in rebus ducis.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Qua de re scripsit ad nos Illustritas Vestra, eam memoria non tenebamus, sed reduxit eam nobis in memoriam Reverendus in Christo Pater, Dominus Samuel Macziejowski, Episcopus Plocensis et Regni nostri Vicecancellarius. Quo tempore sentencia illa lata est, fuimus affecta valetudine, ita ut ipsi causam cognoscere non potuerimus. Si quid per consiliarios nostros factum est, reddent fortasse facti sui rationem, cum quibus simul ut convenerimus, statuemus id, quod iustum et aequum esse visum fuerit, neque enim iuribus et privilegiis Illustritatis Vestre detractum quicquam volumus. Cupimus Illustritatem [Vestram] diu feliciterque valere. Datum in Brzeszcie Lithuaniae, XXXVIII^{z)} die mensis Iunii, anno Domini MDXLIIII, Regni vero nostri anno XXXVIII.

^{a)} *Samuel Episcopus Plocensis et Vicecancellarius subscrispsit.
Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}*

^{a)-b)} *manu Samuelis Maciejowski.*

^{z)} *sic in ms.*

N. 292.

s.l., 4.VII.1544.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio finium, quomodo se habeant, regem nondum ex commissariis cognovisse.
(Samuel [Maciejowski] Ep. Plocensis et Vicecancellarius subscrispsit).*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 293.

In castro Brestensi, 15.VIII.1544.

Elisabetha regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

*ducem salutat; nuntium ipsius audivisse se nuntiat, et cognita ex eo
ducis postulatione, eam apud reges Poloniae promovere curasse.
(m.p. reginae subscriptum).*

Sigill. XI.

H B A, B 1, K. 300.

N. 294.

Brestae in Lithuania, 17.IX.1544.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de interdicto bovum ex Magno Ducatu Lithuaniae exigendorum.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 295.

Brestae in Lithuania, 7.X.1544.

Elisabetha regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae curiales.

(Germ., m.p. reginae subscriptum).

Sigill. XI.

H B A, B 1, K. 300.

N. 296.

Brestae in Lithuania, 8.X.1544.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*nuntiat se iurisdictionem omnem in Magno Ducatu Lithuaniae filio detu-
lissee, ad quem consiliariosque eius omnes res Prussiae Ducalis
spectant.*

Sigill. II.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

*Egit nobiscum Reverendus in Christo Pater, Dominus Samuel Episcopus Plocensis, et Regni nostri Vicecancellarius, de eo, quod queritur
Illustritas Vestra suis hominibus in terris nostris negocium exhiberi.
Nos quoniam in Regnum nostrum redire cogitamus, iurisdictionem omnem*

Serenissimo filio nostro in Magno Ducatu hoc detulimus atque illius Maiestati commisimus, ut in iis, quae Vilnae proxime habitura est, Comitiis cum Consiliariis Magni Ducatus huius nostri consilio inito, rem quomodo se habet despiciat, atque id decernat, quod iura cum Ducatus huius, tum eius, quem possidet Illustritas Vestra, postulare videbuntur. Ibidem etiam de finibus transigi poterit, de quibus ita longo tempore fuit disceptatum. Que causa in hunc usque diem utriusque nostrum permissu^{a)} est prorogata. Nam omnibus de rebus statuendi Serenissimus filius noster eandem quam nos habiturus est potestatem. Cupimus Illustritatem Vestram diu felicissimeque valere. Datum in Brzesczie Lituanico, VIII die mensis Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, Regni nostri anno XXXVIII.

a) *lectio incerta ob foramen.*

N. 297.

Cracoviae, 10.XI.1544.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de nuntio in rebus ducis ad Comitia imperialia mittendo.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quod nos Illustritas Vestra eorum commonefecit, de quibus ad Comitia Spirensia nuncium nostrum miseramus, providentiam hanc illius commendamus. Fieri potest, ut, quemadmodum scribit Illustritas Vestra, Comitia imperialia in proxime insequenti mense habeantur. Sed ea tamen non ignorat, quod in longum extrahi plerunque consueverunt. Cum itaque nos ad Epiphaniarum diem Regni Comitia edixerimus, simul ut ea cepta fuerint, de mittendo aliquo hac de causa ad Imperii Comitia consilium capiemus, futurumque nobis est curae, ut tempore eo quem legaverimus venire possit. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum Cracoviae, X die Novembbris, anno Domini MDXLIV, Regni nostri anno trigesimo octavo.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 298.

Vilnae, 12.XI.1544.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Francisco Guberstein, cive Caunensi, cui Bernardus Jeczkiel, civis Regiomantanus, certum numerum vasorum salis arrestari fecit.
(m.p. regis subscriptum).

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

N. 299.

Vilnae, 2.XII.1544.

Elisabetha regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae curiales: se excusat sua manu se non scribere: nondum enim plane experientiam in scribendo consequatae sumus.

(m.p. reginæ subscriptum).

Sigill. XI.

H B A, B 1, K. 300.

N. 300.

Vilnae, 2.XII.1544.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

gratias agit pro litteris gratulatoriis et pro admonitione in re matrimoniī sui.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, datas in Regio Monte die 23 mensis praeteriti Novembris, quibus pro suo in nos affectu, studio et observantia principatus nostri inicium in hoc Magno Ducatu Lithuaniae foelix faustumque nobis diligenter et ex animo praecatur. Fuit id ipsum nobis pergratum. Praecamur vicissim, ut Illustritati Vestrae omnia caedant foeliciter, unde non mediocrem caperemus voluptatem.

Quod Serenissimam Reginam, consortem nostram charissimam, attinet, de qua Illustritas Vestra tantopere est sollicita, ut eam amore nostro prosequamur et nusquam ab ea dimoveamur, grato accipimus animo hanc illius admonitionem, ita ut in caeteris consilia racionesque illius semper apud nos locum habuerunt. Sed in hac re nihil in nobis deest, quod erga charissimam consortem nostram iure optimo a nobis praestari debeat. Verum quod exigentibus nostris vel Reipublicae nostra rationibus, nusquam ab eius Serenitate nobis dimoveri liceat, id sane indignum nobisque nimis onerosum esset. Scimus quid nos deceat, iam enim aetatem habemus.

Nuncii Illustritatis Vestrae, quos ad Comicia nostra publica in hoc Magno Ducatu nostro obeunda venturos scribit, quecunque iusta et honesta postulabunt, tam de limitibus quam de aliis rebus quibuscumque, non ingratum responsum a nobis referent pro nostra erga Illustritatem Vestram animi propensione. Quam bene et foeliciter valere optamus. Vilnae, die secunda mensis Decembris, anno Domini MDXXXXIIII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscriptis.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

Cracoviae, 11.XII.1544.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci:

memoria non tenet se unquam promisisse, quod non solum in regno
Poloniae, sed etiam in Magno Ducatu Lithuaniae filius suus iusu-
randum fecerit omnia iura et privilegia se conservaturum.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Quin ex animo prectetur Illustritas Vestra,^{a)} ut feliciter ea cadant,
que in Magno Ducatu Lithuaniae per nos acta sunt, utque Serenissimus
filius noster, qui baculus est senectutis nostrae, delata sibi per nos
eius Ducatus administratione atque omni iurisdictione, diu incolumis
perfruatur, dubium nobis non est. Nam animum illius in nos et Ser-
enissimum filium nostrum perspectum satis et exploratum habemus.

Quod vero nos promissurum admonet, eos nos esse sciat, qui quae
verbo promittimus, re libenter praestamus. Memoria nos quidem tene-
mus, quod facturos nos receperamus, simul ut ad pubertatis annos
pervenisset Serenissimus filius noster, ut iura se cuiusque et privilegia
conservaturum iusuendum daret. Quod ita, ut promiseramus, factum
a Maiestate eius esse, meminisse potest Illustritas Vestra. Porro in
Magno Ducatu Lithuaniae aliquid nos eiusmodi promisisse, memoria non
tenemus. Sed si nobis id Illustritas Vestra demonstraverit et in me-
moriā reduxit, faciemus libenter, ut fidem nostram liberemus. Quan-
quam de Serenissimo filio nostro ea spe sumus et opinione, quod sive
dederit iusuendum Maiestas eius,^{b)} sive non dederit, ab officio tamen
suo declinatura non sit et iura cuiusque et privilegia conservatura.
Instant nunc Regni Comitia. In iis uberioris nobis Illustritas Vestra
sentenciam suam declarandam curabit, et ubi sit aut quando per nos
aliquid promissum, certiores nos reddet. Nos cum Consiliariis Regni
nostri deliberatione suscepta, quod erit officii nostri statuemus. Et bene
valeat Illustritas Vestra. Datum Cracoviae, XI die mensis Decembris,
anno Domini MDXLIII, Regni nostri anno XXXVIII.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

a) in ms. Vestrae.

b) eius supra lineam scriptum.

Cracoviae, s.d. 1545.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro nobili Paulo Otta Schemilowski.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 300.

N. 303.

Cracoviae, 11.III.1545.

*Sigismundus I rex Poloniae
universis
alia bona uxori inscripsit pro iis, quibus regina Bona nurui Elisabethae
cessit.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 300.*

N. 304.

Vilnae, 26.IV.1545.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de moneta; de matrimonio filiae ducis; de sponsalibus ducis Saxonie
cum filia regis Romanorum [Ferdinandi].
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 300.*

Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps, Consanguinee Charissime, salutem et foelicitatem.
Agit nobis Illustritas Vestra gratias, quod eam reddiderimus certiorem, quid actum sit in Comiciis proximis Regni nostri de moneta sua. Quod quidem pro nostro erga illam affectu libenter fecimus.

De filia Illustritatis Vestrae in matrimonium elocanda, quamvis animus noster ab ea re non sit alienus, tamen videretur nobis id ad Sacram Regiam Maiestatem, Dominum parentem nostrum colendissimum, referendum esse et cum scientia ac voluntate Sacrae Maiestatis Suae faciendum, quod honestum et utile videbitur.

Sponsalia inter Illustris Domini Ducis Saxonie Electoris filium et Serenissimi Romanorum Regis filiam si nondum facta sunt, cuperemus ex animo, ut, si fieri posset, opera Illustritatis Vestrae interiectis aliquibus modis aliquandiu differantur. Nam intra paucos dies profecturi sumus ad Serenissimos Dominos parentes nostros et inter alia de hoc quoque negocio ageremus, voluntatemque Maiestatum Suarum, nulla interposita mora, Illustritati Veste significaremus. Interim ab illa diligenter cupimus, ut quum in Germania fuerit, velit nos insinuare Illustrissimis Dominis Ducibus Germaniae eorumque benevolenciam pro sua prudencia et dexteritate nobis conciliet. Rem nobis factura pergratam.

Agimus vero gratias Illustritati Veste, quod nos reddiderit certiores, quid sibi caveant Livonienses. Nos etiam rebus nostris prospicieimus. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die 26 Aprilis 1545.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.b)

a)-b) manu propria.

N. 305.

Vilnae, 16.XII.1545.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut Venceslao [Wierzbicki], episcopo Samogitiae, profugi restituantur.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 300.

*
* * *

Hic in Archivo positum est scrinium ("Kasten") 301, 47 epistolas a Catharina regina Poloniae, archiducissa Austriae, tercia uxore Sigismundi Augusti regis Poloniae, ad Albertum in Prussia ducem, germanice et propria manu scriptas, continens. His tamen in epistolis nunquam indicatur annus, quo scribebantur, dum saepe (sed non semper) occurrit dies, mensis et locus.

Itaque 27 earum scriptae sunt Vilnae, 12 Radomiae, 1 in Rudnik, 1 in Wołkowsk.

Scripta haec maxima ex parte de argumentis curialibus tractant et plena sunt gratitudinis erga ducem, cui regina tanquam patri praecipuae curae esse videtur, qui ei vina, raros fructus, butyrum, caseos aliaque id genus xenia dono mittit. Ipsa autem eiusmodi dona esculentis coquinaeque suae iusculis duci saepe compensat. Semel etiam ducem robat, ut sibi alces (Elentiere) fratri suo Maximiliano II imperatori transmittendos mittat.

Quas tamen epistolas hic non ponimus, propterea quod plurimae ipsis simillimae et accurrioribus datis praeditae in aliis scriniis conservantur ideoque in sequentibus voluminibus inveniuntur, cum Catharina nonnisi anno 1553 Sigismundo Augusto regi Poloniae matrimonio collocata sit.

*
* * *

N. 306.

Vilnae, 10.II.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit pro effigiebus hominum et mulierum hierarchiae Germanicae atque pro canibus venaticis.
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Salvam et incolumem Illustritatem Vestram ex ea peregrinatione ad propria rediisse gratissimum nobis est. Cui omnia fausta et foelicia ex animo favemus. Quod vero illustrium virorum et mulierum hierarchiae Germanicae, cum eorum progenie, effigies veras et aetates nominaque et cognomina nobis pollicita sit, aedium novarum ornandarum

caussa, habemus illi gratias. Quae vero diffusius ad nos scripturam se recipit, legemus libenter.

Canes etiam venatici, quos Illustritas Vestra ad nos misit, redditum sunt nobis. Quam illius erga nos animi propensionem et officium favore nostro referre curabimus. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die X mensis Februarii, anno Domini MDXLVI.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 307.

Vilnae, 16.III.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Cromer, subdito suo, qui quoties Montem Regium venit,
turbatur.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 308.

Vilnae, 17.III.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit pro armis, sibi a Casparo a Lehendorff nomine ducis
oblatis.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 309.

Cracoviae, 23.III.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria; de edicto contra monetam ducis promulgato.*

Sigill. II.

(Cum adiuncto edicto typis impresso de eadem re monetaria)
H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quanta contencione fuerit a nobis persepe flagitatum, ut efficere conaremur, ne Illustritas Vestra, posteaquam nos desiimus, cudere monetam pergeret, quin memoria teneat, non dubitamus. Ita enim persuasum est hominibus, quin eciam re ipsa compertum, ex multiplicata moneta hac non minus ad Regnum dicionesque nostras incommodi perve-

nisse, quam si, quod procul Deus omen avertat, hostis eas aliquis permisset. Sed et illud non esse oblitam Illustritatem Vestram putamus, quam sepe, quam amanter cum illa egerimus, ut non tam nostro quam omnium Regni nostri Ordinum desiderio satisfaceret, atque ad quam rem exemplo eciam nostro fuit invitata, cudere monetam cum tanto Regni nostro detrimento desineret.

Sed tot nostris tam amicis hortacionibus quantum profecerimus, nos vehementer poenitet. Itaque visum est Senatui Regni nostri populoque universo, ut aedicto^{a)} nostro exterminandam e Regno nostro monetam Illustritatis Vestrae curaremus atque eius usu hominibus nostris interdicseremus. Quod etsi absque ingenti animi nostri dolore facere non potuimus, cedendum tamen erat tantae omnium voluntati, cedendum erat Reipublicae necessitatibus. Itaque aedictum hoc, ita ut a nobis fuit eflagitatum, promulgari fecimus. Qua de re Illustritatem Vestram presentibus cerciorem esse reddendam putavimus. Quam bene valere cupimus. Datum Cracoviae, XXIII Marcii, anno Domini MDXLVI, Regni nostri XL.

^{a)} Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.
Samuel Episcopus Plocensis, Electus Cracoviensis
et Vicencancellarius subscrispsit.^{b)}

a)-b) *manu propria Samuelis Maciejowski.*

^{a)} sic in ms.

Annexum:

Quandoquidem ex multiplicata moneta plurimum ad Regnum nostrum detrimenti pervenit, quae non aliunde multiplicata magis est quam ex eo, quod Illustris Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis, in Prussia Dux, nepos noster charissimus, postquam ipsi cudere monetam desiimus, tot edictis et denunciationibus nostris, de sententia et consilio omnium Regni nostri Ordinum factis, adduci non potuit, ut quam ad rem exemplo etiam nostro erat invitatus, ab ea cudenda supersederet, habita cum Regni nostri Consiliariis matura deliberacione, quemadmodum provideri posset, ne plus etiam deinceps ex hac tanta monetae multitudine, quam summa propterea vilitas est consecuta, Regnum nostrum detrimenti caperet, solam hanc rationem invenimus, ut edicto nostro caveremus, ne quis in posterum in Regno nostro ea uti auderet.

Quoniam vero repente adeo usum eius interdicere absque gravi multorum iactura non potuimus, certum tempus prescribendum duximus, intra quod providere omnes teneantur, ut omne monetae genus, quod cudit Illustris Dominus Albertus in Prussia Dux, ex finibus Regni nostri exterminetur. Quam ob rem mandamus praesentibus universis et singulis, cuiuscunque status et conditionis fuerint, ut quicquid habuerint monetae ex officina Illustris Domini Alberti in Prussia Ducis, nepotis nostri charissimi, id omne ante festum Divi Michaelis proximum qua possunt ratione exportandum ex Regno nostro curent. Quod si qui citra incommodum suum facere non possunt, tum Cracoviam in officinam nostram monetariam omnem eiusmodi monetam comportent. Iustum pro ea pretium accepturi. Quod si quis post festum Divi Michaelis proximum eam habere deprehensus fuerit, ubicunque reperta erit, eam in commissi causam cecidisse decernimus et fisco nostro volumus applicari. Nisi forte in his Comitiis, quae in Regno nostro proxime per nos habebuntur, aliud

erit aliquid consultum in eos, qui edictum hoc nostrum violare ausi fuerint.

De ea vero moneta, quam Illustres Domini Iohannes Marchio Brandenburgensis et Fridericus^{a)} Dux Legnicenses^{b)} cuderunt, quod pridem edictum fuit autoritate nostra regia promulgatur, ne quis ea in Regno nostro uteretur, id ratum esse et iterari volumus. Quod si quis vero circumventus fuerit, ne maius ex ea detrimentum paciatur, volumus, ut ante festum Divi Ioannis Baptistae eam ad officinam nostram monetariam perferat, pro singulis grossis quinque ternarios accepturus. Quod si qui ea uti post festum Divi Ioannis voluerint, in eos pena falsi animadvertemus.

^{a)} sic in textu typis expresso.

^{b)} Fridericus II.

N. 310.

Cracoviae, 25.III.1546.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

annum stipendium duci numerari Cracoviae se malle significat.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime, salutem et perpetuam foelicitatem.

Quod a nobis postulat Illustritas Vestra, ut per terrarum nostrarum Prussiae Thezaurarium salaryum annum illi numerari iubeamus, id libenter nos quidem faceremus, nisi plusculum pecuniae ex fisco isthie nostro pro moneta, quam cudimus, esset numeratum. Caeterum in hac civitate nostra Cracoviensi cuicunque mandaverit Illustritas Vestra, dabitur illi quod a nobis debetur, neque difficile erit rationem aliquam invenire, qua citra difficultatem aliquam et molestiam, permutacione facta, isthie nihilominus Illustritas Vestra pecuniam suam accipiat. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Cracoviae, XXV die Martii, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Regni nostri XL.

Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.

^{a)} Samuel Episcopus Plocensis, Electus Cracoviensis et Vicecancellarius subscriptus.^{b)}.

^{a)-b)} manu propria Samuelis Maciejowski.

N. 311.

Vilnae, 30.III.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Augustino Dameraw, cive Caunensi, qui Regio Monte iustitiam conse-
qui non potuit.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 312.

Cracoviae, 13.V.1546.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de re monetaria.

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 302.

Illustris Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem plurimam et foelices a Domino Deo ad vota sucessus.^{z)}

Lectis Illustritatis Vestrae litteris, que nobis his nuper exactis diebus reddite sunt, intelleximus, quod Famatus Ioannes a Werden, Consul Gedanensis, mandata nostra exequi idque, quod secum contuleramus, Illustritati Vestre refferre non immoratus est. Fatemur et ad presens, verum esse que illi recensuimus. Certo etiam Illustritas Vestra sibi persuadere potest de nobis, quod nichil scivimus, dum de proscribenda e Regno Illustritatis Vestrae moneta consultabatur.

Non ignorat, credimus, qui in causa fuere. Sed forsitan et eos facti illorum penitet. Nos satisfacientes Illustritatis Vestre voluntati, Serrissime Maiestati Regie, Domino et coniugi nostro colendissimo, postulationes Illustritatis Vestrae detulimus. Maiestas Regia respondit nobis suis litteris Illustritati Vestre responsuram. Quid itaque responderit, ex illis Illustritas Vestra laciens intelliget. Quam diutissime sanam et foelicem valere cupimus. Cracoviae, die XIII Maii, anno Domini MDXLVI.^{to}

a) Bona Regina subscrpsit. b)

a)-b) manu propria.

z) sic in ms.

N. 313.

Cracoviae, 22.VI.1546.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de proscriptionis negotio; de successione Alberti Brandenburgensis iunioris in Ducatu Prussiae; de litteris electoris Saxoniae et landgravii Hessiae; de concilio Tridentino.

Sigill. II.

(Adiuncta est schedula)

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Consanguineus noster Charissime.

Proscriptionis negotium non minus nos quam Illustritatem Vestram angit. Quamobrem Nuncium nostrum primo quoque tempore mittemus, qui de ea abroganda laboret. Cum quo Nuncius Illustritatis Vestrae sua conferet consilia, quo minore negocio res ad optatum finem perduci possit.

Quod vero Illustrum Dominum Albertum Iuniorem Marchionem Brandenburgensem, Casimiri filium, attinet, cum egisset nobiscum Legatus eius ante sesquiannum de successione terrarum Prussiae, quibus nunc Illustritas Vestra praest, ita enim nos dimisise meminimus, ut doceret Illustrum Dominum Casimirum, patrem eius, intra praestituendum sibi tempus ad eiusmodi successionem consensisse. Quod quia nondum ab Illustritate eius factum est, quale postulat a nobis mandatum Illustratas Vestra, dare nobis non licuit. Caeterum in iis, quae proxime habebuntur, Comiciis, si aut per Vestram aut per illius Illustritatem admoniti fuerimus, certi aliquid de causa hac decernemus. De qua extra Comicia statuere aliquid non esse nobis licitum videtur. Poterit interea Illustritas Vestra admonere illum, ut quantum fieri potest, causam hanc extrahat, neque aut Camere iudicio se submittat, aut alii cuiquam iudici causam cognoscendam permittat.

Accepimus litteras fidei Illustrissimorum Principum Ioannis Frederici Electoris Saxoniae et Philippi Landgravii Hessiae. Simul que postulant Illustritates eorum, ex Illustratis Vestrae litteris cognovimus.

Concilium ab omnibus tanto studio expetitum Tridenti celebrari non ignoramus. Ad quod cum vocati sint ii, qui Evangelici dici volunt, quam ob rem venire recusant, ignoramus. Nihil temere facturos catholicos persuasum habemus. Sed ea tamen, quae sunt ad pacem et tranquillitatem, curae nobis sunt futura, neque ab ingenio nostro discedemus. Deumque precabimur, ut errorem e mentibus hominum evellat ac Spiritum suum largiatur. Cuius beneficio fieri possit, ut id ipsum sapiamus omnes, neque sint in nobis schismata. Sed qui unum corpus nobiscum paulo ante fuerunt, unus spiritus, vocati in una spe vocationis, qui eciannum unum Dominum, unum baptisma, unum Deum et Patrem omnium una nobiscum agnoscunt, ii solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Haec est voti nostri summa, cuius utinam compotes aliquando effici possimus. Optamus Illustritatem Vestram diu feliciter valere. Datum Cracoviae, XXII Iunii, anno MDXLVI, Regni nostri XL.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.
b) a) b) alia manu.

Schedula adiuncta:

Quod attinet petitionem Illustris Domini Duci Saxonie de trecentis bobus, dedimus Illustritati eius quietacionem ad centum quinquaginta. Non dubitamus, quin Illustritas eius ad praesens in eo sit acquietura. De argento non possumus aliud responsum Illustrati Vestrae dare, quam ut iure id repetat. Nobis enim pro imperio aliquid facere contra iura et constituciones Regni non licet.

N. 314.

Vilnae, 3.VII.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci*

*argentum a servitoribus ducis, in Scepusio emptum, Cracoviae arrestatum est; rex a patre pettit, ut idem argentum restitueretur et postea per Regnum Poloniae in Ducatum Prussiae transportari posset.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 315.

Cracoviae, 10.VII.1546.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de argento duci restituto.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Argentum, quod quidem esse Illustritatis Vestrae certum haberemus, auferri nunquam iussimus, nisi quod metuebamus. ne sub nomine Illustritatis Vestrae contra edictum nostrum argentum ex Regno nostro exportaretur. Posteaquam vero cognovimus, quod citra omnem dubitationem argentum esset Illustritatis Vestrae, restitui illi e vestigio mandavimus. Optamus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Cracoviae, X die mensis Iulii, anno Domini MDXLVI, Regni vero nostri anno quadragesimo.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscriptus.^{b)}

a)-b) manu propria Samuelis Maciejowski.

N. 316.

Vilnae, 19.VII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Ioannem Kopp, civem et mercatorem Gedanensem et Caunensem, officinarum nostrarum sylvestrium in Samogitia factorem, commendat.
(m.p. regis subscriptum)

Vest sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 317.

Vilnae, 20.VII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ducem salutat per Casparum de Lehendorf, nuntium ducis domum redeuntem.

Sigill. VI.

(Annexum: Responsum regis Casparo de Lehendorf datum i.a. de imperatoris [Caroli V] contra principes electores moliminiibus et de periculo Turcico)

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Salutavit nos Illustritatis Vestrae nomine Nobilis Caspar a Lendorff multamque foelicitatem nobis precatus est. Quod nobis pergratum extitit

atque haec eadem Illustrati Vestrae ex animo favemus. Audivimus praeterea ipsum Nuncium nonnulla nobis referentem, cui indubiam praestitimus fidem, et quid responderimus, ex eo plenius cognoscet. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die XX mensis Iulii, anno Domini MDXLVI.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.
b)

a)-b) manu propria.

Annexum:

Ad ea, quae Sacrae Regiae Maiestati Poloniae Domino Sigismundo Augusto, Magno Duci Lituaniae etc., nomine Illustrissimi Principis Domini Ducis Prussiae etc. Nobilis Caspar a Lendorff, Secretarius, verbis dixit et scripto obtulit, haec nomine Sacrae Regiae Maiestatis idem referre debet:

Post salutationem ac omnis foelicitatis precationem hoc referendum: Plane intellexisse Sacram Regiam Maiestatem, quid Caesarea Maiestas aduersus Principes Electores Romani Imperii moliatur, et quid demum finito bello Illustritas Sua statui suo adeoque vicinis provinciis Sacrae Maiestatis Regiae periculi suspicari videtur. Animadvertis sane Sacra illius Regia Maiestas manifestam Dei Omnipotentis graviter offensi iram apertamque vindictam, qui Christianam Rempublicam tot dissidiis cruentisque bellis turbari viresque Principum enervari permittit, ut inimico Crucis Christi facilis praebeatur occasio reliquum in suam potestatem subiiciendi. Pax quaerenda esset pocius viresque undecunque coniungendae, ut potentissimus hostis a conatibus suis reprimi possit. Quod quum aliter fiat, non potest Sacra illius Maiestas Regia non vehementer dolere.

De educendis ex Regno Poloniae militibus levis armaturae scribit Serenissimo Regi Domino Parenti suo, quod si ex animi Illustritatis Suae sentencia cesserit, pergratum Suae Maiestati erit. Sed quod ex Magno Ducatu Lithuaniae idem faciendi sublata sit illius Maiestati occasio, plurimum dolet. Sperat enim Illustrati Suae iam esse cognitum, quod per universum Magnum Ducatum Lithuaniae publica dederit mandata, ut mature omnes ad exercitum properarent, eo quod a finitimis Capitaneis et exploratoribus suis acceperit visam esse non parvam Scytarum vim in vastis campis. Advenisse item ad Caesarem Praecopensem Thurcarum aliquot millia et indies confluere plures latenter ad Oczakow. Aiunt etiam Moldavos, iussu Thurcarum Imperatoris, paratos esse, famaque vulgata est, quod omnes isti ad dominia Sacrae Maiestatis Suae igne et ferro depopulanda accingerentur. Datur itaque ab illius Maiestate opera, ut hostem depellere posset, ne quid Respublica eius detrimenti caperet. Atque ita plurimum cupit Sacra illius Maiestas, aequi bonique consulere velit Illustritas Sua. In caeteris omnibus, in quibus poterit, prompto et alacri animo illi gratificabitur.

De Illustrissimo Principe Domino Alberto Marchione Iuniore, tametsi iam Sacrae Maiestati Regiae Domino Parenti suo scripserit petens, ne permitteret Illustritatem illius ab Imperiali Camera iudicari, sribet tamen iterum non gravatim.

Quod responsum Sacrae Maiestatis Regiae Domini Parentis sui in causa Statuum evangelicorum, seu (ut vocant) protestantium, non omni-

no Illustritati Suae probari videatur, officii erit Illustritatis Suae, si quid ea in re Principibus illis scripserit, moderari styllumque suum ita accommodare, ne ea res aliquam mutationem animorum Principum illorum erga Maiestatem Suam pariat. Id quod Illustritatis Suae prudentia probitasque et erga utranque Maiestatem Regiam arcta necessitudo requirit. Amicitiam enim Principum illorum Sacra Maiestas Regia merito plurimi facit, quam pro facultate sua mutuis officiis servare curabit.

Negocium Illustritatis Suae monetarium ad Comicia Regni proxima relatum curae se habituram Sacra Maiestas Sua pollicetur, perinde atque res sua ageretur.

N. 318.

Vilnae, 26.VII.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotiationibus inter Fridericum palatinum Rheni et [Christianum III]
regem Daniae de rebus Christiani II regis Daniae capti.*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Hisce diebus veniens ad nos Magnificus Stanislaus Laski, Palatinus Siradiensis, retulit nobis significatum sibi esse, quamvis res nondum in tractatus concessit, neque principium (ut putamus) adhuc habeat, tamen si cuius alia opera et auctoritate conficiendum sit, id nostra auctoritate confessum et per eum tractatum oportune videretur, inter Illustrissimum Principem Dominum Fredericum Palatinum Rheni et Serenissimum Principem Dominum Fredericum¹⁾ Danorum etc. Regem de rebus Domini Cristierni Regis capti. Quod quidem negocium aggrediendum sibi non est visum, priusquam voluntatem nostram exploratam haberet, sciens praesertim nos Illustrati Vestrae bene velle. Non prohibuimus illi, immo vero consensimus cum ea animi nostri aperta significatione, quod dignitatem resque omnes Serenissimi Regis Danorum salvas optimasque esse vellemus, pro ea, quae nobis est cum Illustritate Vestra animi necessitudinisque coniunctione. Itaque si quid Illustritas Vestra ea in re agi voluerit, ex eo plenius cognoscet. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die XXVI mensis Iulii, anno Domini MDXLVI.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *error scriptoris, recte: Christianum.*

Vilnae, 29.VII.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ut commissarii et regis et ducis die 8.IX. in loco Preiiwiski finium
regundorum causa convenient.*

Sigill. VI.

*(Annexum: exemplar litterarum eiusdem ad eundem datarum Vilnae
30.VIII. de dilatione conventus usque ad diem 14.IX)*

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps et Domine.

Quemadmodum anno proxime praeterito cum Illustritate Vestra condictum habentes, destinaveramus Commissarios et Consiliarios nostros ad recognoscendum et renovandum limites inter Magnum Ducatum Lituaniae et terram Prussiae, qui cum Vestrae Illustritatis Commissariis et Plenipotentibus ad locum eis tunc assignatum debuerunt convenire et perlustrare ac renovare limites inter utrumque hoc dominium. Quia tamen illi ob certa discrimina et differencias inter eos habitas, praesertim de dimensurando pro medietate lacu Raiigrod, nihil penitus de illis finibus determinarunt, ea omnia relinquentes tam nostrae, quam Vestrae Illustritatis cognitioni. Et siquid nos habuimus in animo, prout in colloquiis erat propositum, proximo autumno ad lacum illum, de quo fit tanta ambiguitas, in propria persona descendere et re subiecta oculis de eo dimeciendo cum Vestra Illustritate cognoscere, non admodum id fieri nobis esset grave. Sed quia curis et negociis non mediocribus huius nostrae Reipublicae dominiorum pro eo tempore occupati, minime id exequi possumus, et ne res ipsa et recognitio finium in ulterius differtatur, relicto ipso lacu Raiigrod et locis ante eum anterioribus cognitioni nostrae et Vestrae Illustritatis convenienti tempori, visum est nobis, ut tam nostri quam Vestrae Illustritatis Commissarii et Plenipotentes ad locum Preiiwiski et ad diem Nativitatis Mariae, quae erit die octava Septembbris proxima, convenienter et a praefato loco et eius scopulo ulterius, iuxta ordinationem ac descriptionem privilegii pacis perpetuae ac literas posterioris contractus, ab eis nihil recedendo, rectitudinemque sequendo, omnia loca finium praedictorum perlustrarent, novos scopulos erigerent et signi necessaria usque ad Salsum mare ponerent.

Prout nos ad ea exequenda deputavimus Reverendum Patrem Venceslaum¹⁾ Episcopum Mednicensem, Consiliarium, Ioannem de Domanow Praepositum Vilnensem, Secretarium, Nicolaum Narbuth Marshalcum, Crevensem et Moziriensem Capitaneum, fideles nostros, Vestra etiam Illustritas dignabitur totidem numero ad diem et locum praescriptum mittere, qui simul congregientes in recognitione finium praedictorum a loco illo Preiiwiski ulterius procederent, servatis illis condictionibus in posterioribus literis contractus expressis. De ambiguitatibus locorum ubi aliquid eveniat, quod illa cognitioni nostrae et Vestrae Illustritatis debent reservari. Qua ambiguitate obmissa, neque expectata decisione, ulterius in ipsa recognitione procedere debebunt, et quicquid de rebus huiusmodi Vestra Illustritas habebit in votis, nobis significare digna-

bitur. Quam faustum ac felicem valere desideramus. Datum Vilnae, die Iovis vigesima nona mensis Iulii, anno a nato Iesu Christo 1546.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit. b)

a)-b) *manu propria.*

1) *Wierzbicki.*

Annexum:

Sigismundus Augustus *etc.*

Accepimus ex litteris Vestrae Illustritatis habere constitutum mittere suos Commissarios et Plenipotentes ad diem Nativitatis Mariae, hoc est ad octavam mensis Septembbris, quem diem nos mittendi similiter Commissarios nostros et conveniendi ad locum Preiwicki designaveramus. Quia tamen Nuncius noster, quem in tali negotio ad Vestram Illustritatem destinaveramus, ad nos tardius rediit diesque conveniendi ipsis Commissariis utriusque dominii proximus est, cum nostri ob loci non parvam distantiam minime ad diem illam venire possunt, visum est nobis, ut idem congressus eis usque ad festum Exaltationis Sanctae Crucis proximum prorogaretur, hoc est ad 14 diem Septembbris. Vestra Illustritas pro illa posteriori die iubebit suos venire. Nos eque nostris mandavimus, ut ad praefatum diem 14 mensis sequentis ad locum Preiwicki comparerent et foelicibus auspiciis negotium illud finium recognoscendorum aggredierentur. Cupimus tandem Vestram Illustritatem foeliciter valere. Ex Vilna, die 30 Augusti, anno a nato Iesu Christo MDXLVI.

Sigismundus Augustus Rex subscripsit.

N. 320.

Vilnae, 15.VIII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*tametsi probitas et fides Ioannis de Werden, burgrabii Gedanensis fuerit
regi cognita, commendatione tamen ducis accedente gravior ipsi est
futurus.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 321.

Vilnae, 15.VIII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*nuntios civitatis suaे Gedanensis et sua voluntate et ducis commenda-
tione accedente libenter se audivisse nuntiat.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

N. 322.

Cracoviae, 16.VIII.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
proconsulibus et consulibus Gedanensibus
prius mandatum suum de contumacia aliquot civium revocat.*

(*Exemplar*)

H B A, B 1, K. 302.

N. 323.

Cracoviae, 17.VIII.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
in re abrogandae proscriptionis mittit Achatium Czema ad Carolum V.
Ducem hortatur, ne milite vel ex Regno Poloniae vel altiunde conscri-
bendo imperatorem lacescat, si causam suam faciliorem reddere
vult.*

Sigill. II

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Quod agit nobis gracies Illustritas Vestra de Legato, per nos ad Maiestatem Cesaream designato in causa proscripcionis, Magnifico Achacio Czeme, Palatino Mariemburgensi, Capitaneo Schtumensi, sincere nobis dilecto, est id supervacaneum plane. Neque enim solius Illustratis Vestre, sed et nostra plurimum interest, ut hoc proscriptionis decretum abrogetur. Quin eciam si solius esset causa Illustratis Vestre, pro nostro tamen erga illam animo facturi semper essemus, ut illius commoda non minus quam nostra tueremur. Quod autem parum opportunum tempus id esse censem de causa proscriptionis agendi, idem et nobis videtur.

Quam ob rem dedimus in mandatis Legato nostro, ut se nostro nomine in pacificationem, ita ut suadet Illustritas Vestra, interponat, communicato cum Illustrissimo genero nostro consilio, ad quem divertet antea, quam ad Caesarem [sit] ^{a)} profectus. Caeterum illud secum expendet Illustritas Vestra, quam autoritatem sit apud Cesaream Maiestatem legacio nostra habitura, si, quod celari difficulter potest, in Regno nostro conscribi contra se milites intellexerit. Quare serio mandavimus hominibus nostris, ne quoquam ex Regno nostro in miliciam proficiantur. Neuterius enim partis esse decrevimus. Vestram quoque Illustritatem hortamur, quo et ipsa quiescat ac non modo ex Regno nostro ne evocet quemquam, sed neque ex sua ditione ire in castra cuiusquam permittat. Neque enim dubium nobis est, quin Magister ille Ordinis designatus diligenter observet, qualem se gerat in hoc tumultu Illustritas Vestra. Quae causam postea suam reddet multo difficiliorum, si compertum erit eam suppecias misisse iis, qui Cesari nunc negotium facessunt.

Quod queritur Illustritas Vestra de decreto vel mandato pocius a nobis obtento, ita se rem habere sciat: petuisse a nobis mandatum eiusmo-

di unum ex Ketingi haeredibus. Verum hoc a nobis responsi accepisse, quod prius ad Illustritatem Vestram litteras essemus daturi, ac responso ab illa accepto, tum demum id facturi, quod aequitas postularet. Quare mandatum illud fuit surrepticio impetratum. Dedimus itaque mandatum aliud ad Gedanenses, ut ab executione omnino supersedeant usque ad aliam informacionem nostram. Caeterum quomodo ante sesquiannum transacta sit res cum nunctiis Illustritatis Vestre, tenet memoria. Quam cum illi transactionem Illustritatis Vestre nomine acceptarint, ut illi stet, aequum censemus. Quae tamen omnia in iis, quae proxime habebuntur, Comitiis diligencius excuti poterint. Valeat feliciter Vestra Illustritas. Datum Cracoviae, die XVII Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Regni nostri XL.

b) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscrispsit.^{c)}

a) *foramen in charta.*

b)-c) *manu propria Samuelis Maciejowski.*

N. 324.

Cracoviae, 17.VIII.1546.

Sigismundus I rex Poloniae

universis

litterae passus pro pecunia (centum marcis argenti infecti) per Regnum Poloniae in Prussiam missa.

Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium Samuel [Maciejowski] Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius subscrispsit.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 302.

N. 325.

Cracoviae, 18.VIII.1546.

Sigismundus I rex Poloniae

proconsulibus et consulibus Gedanensibus

mandat, ut executionem decreti regii pro relicta vidua Martini Hermensdorff omnino faciant.

Exemplar.

H B A, B 1, K. 302.

Vilnae, 2.IX.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de vectigalibus. (Charta lacerata)*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 302.

*Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps et Domine.*

Actepimus literas [Vestrae Illustritatis],^{a)} per quas cupit, ut vectigalia, quae in Magno Ducatu et per Samogitiam a bobus, pecoribus, peccudibus, frumento constituta sunt, abrogaremus eaque omnia emendi liberam omnibus subditis eius tribueremus facultatem. Et quia huiusmodi thelonia constituta sunt de [scie]ntia et voto omnium Consiliariorum nostrorum huius Ducatus, quos eo tempore, quo lite[rae Vestrae] Illustritatis ad nos allate sunt, paucos penes nos habuimus, ob quorum absentiam non potuimus q[uicquam] constitutioni huiusmodi in contrarium decernere, Vestra Illustritas pro hac vice boni consulere [velit].

Quod autem Vestra Illustritas in eisdem literis optat, ut saltim pro eo tempore liberum esset emere pro alimonia praesidum et laboratorium eius in castro Memel, quorum non parvam copiam dicit illic fovere, non gravatim ea Vestrae Illustritati concedemus, modo praescriberet numerum et summam, quantum boum, similiter frumenti pro illo castro necesse habet emere, nos licentiam ea emendi non negabimus. Quam sospitem foeliciterque valere desideramus. Datum Vilnae, die Iovis secunda mensis Septembris, anno a nato Iesu MDXLVI.

^{b)} *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.*^{c)}

^{a)} *foramen in charta.*
^{b)-c)} *manu propria.*

Cracoviae, 13.IX.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio Lucae Ketting, civis Gedanensis.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. II.

(Adsunt 2 annexa (exempl.): 1) de eadem re ad consiliarios Prussiae Regalis; 2) litterae Gertrudis Hermensdorff viduae)

H B A, B 1, K. 302.

N. 328.

Vilnae, 29.IX.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae commendatitiae pro Petro Wojanowski, etiam Volmerum Kun-
heim commendantes.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 329.

Vilnae, 8.X.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro fabro sibi misso gratias agit, quem remissum commendat.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 330.

Cracoviae, 22.X.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de causa inter Martinum Hermensdorff et heredes Lucae Keting (Kethink)
(Ex commissione Maiestatis Regiae propria; Samuel [Maciejowski]
Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius subscripsit)
Sigill. II.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 331.

Cracoviae, 23.X.1546.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum de negotio heredum Lucae Ketting contra Hermensdorff.
Sigill. II.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 332.

Vilnae, 28.X.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Gabriele Tarlo.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 333.

Vilnae, 12.XI.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
mittit et commendat adolescentem Ioannem Sienieński, ut dux ipsum
in numerum servitorum suorum accipiat.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. V.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 334.

Vilnae, 15.XI.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de finibus regundis.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 335.

Vilnae, 29.XI.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro equis a duce per Gabrialem Tarlo sibi missis gratias agit.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. V.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 336.

Vilnae, 5.XII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de legatione Gabrielis Tarlo.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

HBA, B 1, K. 302.

N. 337.

Cracoviae, 15.XII.1546.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Georgio Wysocki (in ms. Visoczky), bona sua hereditaria redimere
volente.*

*(Ex commissione Maiestatis Regiae propria; Samuel [Maciejowski]
Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius subscrispsit).*

Sigill. II.

(Adiuncta est petitio Ioannis Wysocki ad regem)

HBA, B 1, K. 302.

N. 338.

Cracoviae, 20.XII.1546.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de studio suo in reconciliacione ducis et principum Germaniae cum
imperatore Carolo V consequenda.*

Sigill. II.

*(Annexum: Exemplum litterarum regis de eadem die ad principes
Germaniae, quibus eos ad pacem potius cum imperatore quaerendam
quam ad bellum prosequendum hortatur).*

HBA, B 1, K. 302.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Probatur nobis Illustritatis Vestrae consilium, quod secuti ad Imperatoriam Maiestatem, fratrem et consanguineum nostrum charissimum, accurate scripsimus atque ab illa petivimus, ut bona cum illius venia nobis iterum per Legatum nostrum de reducendis in gratiam illius Illustrissimis Principibus agere liceat, utque in eo facilem se praebere velit. Dedimus et alias literas ad Regiam Romanorum Maiestatem, atque ut in pace hac impetranda adiumento nobis sit, rogavimus. Utrasque autem has literas per cubicularium nostrum misimus. Quas vero scripsimus ad Illustrissimos Principes, eas in manus Illustritatis Vestrae mittimus.

mus, ut ipsa ad eos, quibus inscriptae sunt, perforandas curet. Quicquid autem responsi tulerimus, faciemus Illustritatem Vestram deinceps certiorum. Cui etiam literarum ad Principes exemplum, praesentibus annexum, mittimus. Optamus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Cracoviae, in vigilia Sancti Thome Apostoli, anno Domini MDXLVI, Regni vero nostri XL.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscrispit.^{b)}

a)-b) *manu propria Samuelis Maciejowski.*

Annexum:

Illustris Princeps, Affinis noster Charissime.

Cum esset ad nos allatum de funesto bello isto in Germania nuper aborto, incredibilem animo dolorem accepimus, quod ex eo plurimum ad Rempublicam Christianam incommodi perventurum videbamus. Quod enim spectaculum edi gratius potuit sempiternis christiani nominis hostibus, quam quod hisce temporibus editum est? cum que natio maxime fuit illis formidolosa, ea mutuis armis non sine quadam turpitudine seipsam confidere, quam summa cum gloria sua in Crucis hostes vires suas convertere maluit.

Cum itaque animo prospiceremus, quae inde Reipublicae Christianae pericula impenderent, pro nostro erga illam studio providere cipientes, ne quid ea detrimenti caperet, tenere nos non potuimus, quin et ad Caesaream Maiestatem, fratrem et consanguineum nostrum charissimum, et ad Vestram Illustritatem sociosque illius Legatum nostrum de pace mitteremus. Ac venit is quidem in castra Caesareae Maiestatis, sed ita inde discessit est,²⁾ ut nulla spes pacis ostenderetur. Graviter enim ab Illustritate Vestra sociisque illius Caesarea Maiestas offensa videbatur.

Etsi autem ad Vestram quoque Illustritatem sociosque illius mandata illi dederamus, iustis tamen rationibus praepeditus ad castra illorum accedere non potuit ac rebus, de quibus missus fuit, infectis domum redit. Tulimus quidem dolenter non esse precibus nostris apud Caesaream Maiestatem locum datum, sed pro incredibili studio nostro pacandae Reipublicae Christianae fecimus nihilominus, ut denuo litteras ad Maiestatem illius daremus, quibus etiam atque etiam diligenter hortamur Maiestatem eius atque ab ea magnopere petimus, ut depositis armis alia quacunque ratione ius suum persequatur et Reipublicae Christianae saluti potius consulat, quam privato suo dolori indulgeat. Omnia nos facturos recepimus, ut Vestrae quoque Illustritati ac sociis eius persuadeamus, quo ab armis abstineant, quieta consilia amplectantur deque reditu in gratiam Caesareae Maiestatis sint solliciti.

Quo animo Maiestas eius scripta haec nostra acceptura, quidque responsi nobis datura sit, scire non possumus. Sed in omnem eventum ad Vestram quoque Illustritatem et socios illius scribendum duximus, ut ipsorum simul animum exploraremus. Fieri potest, ut non desint rationes aliquae probabiles Illustritati Vestrae sociisque eius, quibus adductae sunt, ut arma contra Caesaream Maiestatem caperent. Sed quae a subditis contra Dominum arma sumuntur, ea iuste sumpta esse

difficulter hominibus persuaderi potest. Quam ob rem hortamur Illustritatem Vestram, ut communicato cum sociis suis consilio de reditu potius in gratiam Caesareae Maiestatis cogite, quam de cepto bello prosequendo. Simul etiam significet nobis, num velit ea de re per Legatum nostrum iterum nos apud Caesaream Maiestatem agere, atque una, si visum erit Illustritati Vestrae, vias et rationes indicet, quibus id nobis aggrediendum sit. Conditiones etiam perscribat Caesareae Maiestati per nos proponendas.

Nos nulli neque labori neque sumptui parcemus vel Reipublicae Christianae causa, quae hoc a nobis tacite flagitare videtur, vel quod ipsi Illustritati Vestrae honestissime cupimus, quo funestum bellum hoc optata pace mutari atque Illustritati [Vestrae] et sociis eius in gratiam et concordiam cum Imperatoria Maiestate redeundi potestas confici possit. Qua in re speramus non defutaram nobis etiam Regiam Romanorum Maiestatem, fratrem et consanguineum nostrum charissimum, ad quam accurate scripsimus, ut adiumento nobis esse velit, quo minore negocio quod volumus apud Imperatoriam Maiestatem impetrare queamus. Quod restat, cupimus Illustritatem Vestram bene et foeliciter valere. Datum Cracoviae, XX Decembris, anno Domini MDXLVI, Regni nostri anno XL.

z) sic in ms.

N. 339.

Vilnae, 23.XII.1546.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de studio suo et intercessionis promptitudine ad pacem in Germania
conficiendam.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 302.

Sigismundus Augustus etc.

Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime.

Probantur nobis raciones Illustrissimi Domini Marchionis Electoris, consanguinei et affinis nostri charissimi, simul et Illustritatis Vestrae, ad permovendam Sacram Maiestatem Regiam, Dominum parentem nostrum colendissimum, ut quod tentatum non successit, rursus melioribus auspiciis aggredi non dedignaretur, ad obtinendas in primis inter Sacram Caesaream Maiestatem et Illustrissimos Germaniae Principes inducias, deinde vero omisso bello, toti Reipublicae Christianae perniciosissimo, ad concordiam et pacem reducendos. Qua in re scribimus diligentissime Sacrae Regiae Maiestati, ut hanc provinciam, Reipublicae Christianae salutiferam et eius Sacra Maiestate dignam, suscipere non gravaretur. Nos vero, si id Sacrae Maiestati Regiae videbitur, non solum scribere legatosque mittere, sed etiam nos ipsi prompto et alacri animo, ubi eo ventum fuerit, proficisci et omnia pro viribus, quae ad communem pacem

pertinere viderentur, parati facere sumus, nihil aequidem^{z)} in nobis
desiderari pateremur. Valeat Illustritas Vestra diu sana et foelix. Vilnae,
die XXIII mensis Decembris, anno Domini MDXLVI.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

N. 340.

Vilnae, 27.XII.1546.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de bonis Mirchaw et Gnew. Rogat ducem, ut scribat ipsi de marchio-
nibus de Baden in negotio matrimoniorum sororum regis.
(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

Cum schedula.

H B A, B 1, K. 302.

N. 341.

Cracoviae, 2.I.1547.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de fiducia sua in Deo posita.

Vest. sigilli III.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Litteras Illustritatis Vestrae, quas ad nos proxime dedit manu sua
scriptas, intelleximus, ex quibus nihil aliud quam verum et debitum illius
erga nos amorem et studium cognovimus, eaque omnia (ut par fuit)
cum omni gratitudine accepimus. Et si autem, quod Illustritas Vestra
scribit, nobis semper ob oculos fuit immensa scilicet illa Christi Iesu,
Servatoris nostri, misericordia, in qua vite et salutis aeterne certam
fiduciam semper defixam habebamus, omnium meritorum et operum
nostrorum fiducia adiecta, nihilque per omnem vitam nostram maiori
nobis curae fuit, quam ut nos ipsi iuxta doctrinam celestem, iuxta vocem
Aevangelii erga Deum gerreremus, deinde ut hoc Regnum, cuius gubernacula
tenemus, in pia, iusta, firma tranquillaque administracione poste-
ris nostris relinquamus, tamen hec Illustritatis Vestre scripta, ex animo
benevolo ac nostri amante profecta, non possunt nobis non esse gratis-
sima. Dabimus operam, ut et hec in nobis ociosa non sint, et illum

Illustritatis Vestre erga nos propensum amorem vicissim pari affectu et benevolentia referre studebimus. Quam bene valere cupimus. Cracoviae, 2 Ianuarii 1547.

Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.

Thomas de Sobotga¹⁾
Regni Poloniae Supremus Cancellarius subscriptis

1) Sobocki.

N. 342.

Merecz, 2.I.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de frumento e Magno Ducatu Lithuaniae a Clemente Rath non educendo.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
HBA, B 1, K. 302.*

N. 343.

Vilnae, 8.II.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de animorum principum Germaniae erga se propensione gaudet; de
consiliariorum provinciae Prussiae adventu.
Sigill. V.
HBA, B 1, K. 303.*

Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Quae Illustritas Vestra de Illustrissimorum Principum Germaniae erga nos animorum propensione scripsit, legimus libentissime. Eodem enim sumus erga illarum Dominationes Illustrissimas, quibus omni officio iuxta possibilitatem gratificari cupimus. Venere iam ad nos legati Consiliariorum provinciae Prussiae, quorum dignam rationem habemus, rebusque eorum non deerimus et nostra sponte et Illustritatis Vestræ causa. Quam bene et foeliciter valere optamus. Datum Vilnae, die octava mensis Februarii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscriptis. b)

a)-b) manu propria.

Vilnae, 8.II.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
non per cubicularium ducis, sed per proprium nuntium duci se respon-
surum nuntiat.*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Domine, Affinis noster Charissime.

Ad literas, quas nobis bis cubicularius attulit, nihil per eum respon-
dimus, sed per proprium nuntium, quem ad Vestram Illustritatem lega-
bimus, per quem et desideria nostra in rebus huiusmodi literis nostris
innotescemus. Quam tandem cupimus fauste foeliciterque valere. Ex
Vilna, die Martis VIII Februarii, anno Domini MDXLVII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscipsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

Vilnae, 9.II.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
petitioni ducis satisfacere se non posse significat.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime.

Quod a nobis Illustritas Vestra desiderabat, probe intelleximus,
praestitissemusque non gravatim, nisi et privata et publica necessitate
stringeremur, nunc potissimum, dum non ita pridem in eo dominio vo-
luntate divina consedimus. Novo oeconomia multis opus est, omne si-
quidem principium est grave. Et hostibus undequaque circumsepti sumus.
Itaque quod fieri non potest, ad praesens aequi boni consulat, maiorem
in modum cupimus. In caeteris pro facultate nostra libenter gratifica-
bimus Illustrati Vestrae. Quam bene et foeliciter valere optamus.
Vilnae, die 9 mensis Februarii, anno Domini 1547.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscipsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

Vilnae, 9.II.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de irruptione vicecapitanei Tilsensis in oppidum Wojniuta (in ms.
Janiutha). Cfr. n. 355.

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps et Domine.

Actepimus literas eius, ex quibus intelleximus excusationem, qua excusat factum Vicecapitanei sui Thilzensis, qui non parvo numero equitum transscensis finibus in oppidum nostrum Janiutha irrumpens, quendam servitorem Magnifici Castellani Trocensis, Capitanei Generalis Samogithiensis, custodem thelonie nostri, captivavit ac secum vinctum in castrum Illustritatis Vestrae Tilza duxit illicque in carceres coniecit. Asseritque Vestra Illustritas eum ingressum sui Vicecapitanei in ditionem nostram iustum^{z)} fore, qui compassus spoliis subditorum ipsum custodem thelonie nostri captivavit.

Quandoquidem magis conveniebat eas iniurias, ut quaslibet alias, ad audientiam et cognitionem nostram perferri, ut ille, si convictus fuerit, a iudice suo proprio et competenti lueret dignas suorum meritorum poenas. Et cum ea obmissa sunt, quae obmitti non debuerunt, a Vestra Illustritate optamus, ut servitor ille, qui citra omnem eius culpam ab non suo iudice captivatus est, liber et sine omni offensa ex carcere in praesentia huius aulici nostri dimitteretur, ac de ipso Vicecapitaneo quoque excessu ius et castigatio fieret, ut idem et quivis alii Vestrae Illustritatis officiales osoresque pacis tam licentiose in fundum nostri Magni Ducatus irrumpere non auderent, Vestra Illustritas severius inhiberet pacemque hactenus inter dominia inoffense servatam talibus incursibus non inturbarent. Quod facturam non dubitamus. Desideramus tandem Vestram Illustritatem foeliciter valere. Ex Vilna, die Mercurii IX Februarii, anno Christi MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscrpsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

z) sic in ms.

Vilnae, 9.II.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litteras salvi conductus pro Ioanne Wikthorin, homicidii cuiusdam reo,
se concessisse, quo secure ad causam dicendam se conferre possit.
(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

N. 348.

Vilnae, 24.II.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*mittit mandatum ad magistratum Gedanensem in negotio cuiusdam vi-
duae a duce commendatae; res de lite Hermensdorff-Ketting.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 303.

N. 349.

Vilnae, 24.II.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de propensione sua versus ducem in negotiis publicis et privatis.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Negotia Statuum terrarum nostrarum Prussiae publica, item Generosi Ioannis a Baizen, Castellani Elbingensis, privatum et civium Gedanensis, tum Illustritatis Vestrae commendationis, tum etiam Reipublicae nostrae et ipsorum causa, fuere nobis vehementer commendata. Quibus non defuit benignitas, opera officiumque nostrum, quoad maxime nobis licuit. Id quod Illustritas Vestra ex eis plenius cognoscet. Et quicquid in futurum praestare poterimus, propenso promptoque animo praestabimus. Nova Germanica libenter legimus. Si quid certi postea evenererit, reddat nos Illustritas Vestra certiores, cupimus. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die XXIIII mensis Februarii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus rex subscripsit. b)

a)-b) manu propria.

N. 350.

Cracoviae, 24.II.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*de mediatione sua inter imperatorem [Carolum V] et Ioannem Frideri-
cum electorem ad pacem obtainendam.*

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Quas ad nos transmisit literas Illustritas Vestra Illustrissimi Domini Ioannis Friderici Ducis Electoris, eas legimus, sed nobis minime satisfe-

cerunt. Etsi enim non nolle se ostendit, ut nos in pacificationem istam interponamus, tamen quibus conditionibus redire in gratiam cum Imperatoria Maiestate cogitet, non perscribit. Quam ob rem quid consilii capiamus, prorsus nescimus. Nam neque sue nobis voluntatis aliquam adhuc significationem Imperatoria Maiestas dedit, ad quam ante duos menses missus Nuntius noster nondum rediit. Ac ut maxime certum sit Maiestatem eius a quietis consiliis non abhorrere, quibus tamen cum mandatis ad Maiestatem eius Legatum nostrum mittemus, cum condicione pacis nullas propositas habeamus.

Nos operam nostram in pace confiencia non gravatim navabimus, sed prestaret prorsus ab eo labore supersedere, quam parum consulto rem adgredi. Quare si potest Illustritas Vestra, conditiones eliciat, sine quibus si de pace agere voluerimus, ne quod proxime, idem nobis iterum accidat periculum esse videamus.^{a)} Aequum autem est, ut dignitatis etiam nostrae rationem habeamus.

Quae ad nos nova perscrispit de Duce Virtenbergensi deque Augusta, ea paulo ante ex aliorum quoque literis cognoveramus. De Genua tamen diversum accepimus. Neque enim eam Rex Gallorum obsidione pressit, sed cum essent motus quidam excitati, uterque factionis utriusque dux occubuit. Ipsa tamen civitas in Imperatoriae Maiestatis fide permansit. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Cracoviae, XXIII die mensis Februarii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

a) in ms. videmus.

N. 351.

Vilnae, 27.II.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Volmero a Kunheim et fratribus eius.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. V.
(Cum schedula adiuncta: credentiales pro Achatio Czema)
H B A, B 1, K. 303.

N. 352.

Vilnae, 27.II.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit pro imaginibus diversis illustrium virorum et mulierum,
per Petrum Wojanowski a duce sibi missis, quem etiam commendat.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 303.

N. 353.

Vilnae, 27.II.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Matthia Kleys de Jurbork, causam apud consulatum Montis Regii
habente.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 303.*

N. 354.

Cracoviae. 5.III.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de litteris ab imperatore [Carolo V] acceptis; de statu Germaniae; de
dubiis regis nescientis, quid sibi ulterius faciendum sit.
Sigill. II.
H B A, B 1, K. 303.*

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Rediit Nunctius noster a Cesarea Maiestate, quae significare suis litteris visa est, ne quem Legatum et Internuntium de pace mitteremus. Quod res Maiestatis eius in eo statu versentur, ut sperandum sit, quod superest rebellium (sic enim scribit Maiestas eius) vel sua sponte reddituros ad obedientiam, vel facili negotio ad deditiōnem compelli posse. Iam enim Augusta, Ulma, Constantia, Lindau et omnes alie civitates, praeter Argentinam, Caesaris potestati se tradidisse feruntur. Quod ipsum Argentinam quoque facturam speratur. Quare negat Maiestas eius posse se nobis spem certam ullius tractationis facere, cum non sit in potestate unius conditiones pacis inire, ubi alterius partis consensus non accedat. Deque rerum suarum successu et spe victoriae ideo se nos certiores reddisse^{z)} scribit, ut consilium praesens ex re praesenti capere valeamus.

Ad extremum, ut in legationem sumptus faciamus et labores frustra suscipiamus apud eos, de quorum voluntate incerti sumus, sudere se nobis neque debere neque velle scribit. Haec est summa responsi Caesareae Maiestatis. Quid ergo consilii capiamus, nescimus, cum hanc suae nobis voluntatis significationem Imperialis Maiestas dederit. Veremur, ne mittendis legatis et oleum, quod aiunt, et opera nobis pereat. Cum presertim ab altera parte nullae nobis conditiones, quibus pax confici possit, perscriptae sint. Suam itaque sentenciam nobis Illustritas Vestra perscribat, quid porro nobis faciendum esse putet. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum Cracoviae, die quinta Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Regni nostri XLI.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscripsit.^{b)}

a.-b) manu propria Samuelis Maciejowski.

z) sic in ms.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

commissarios et iudices instituit ad cognoscendum et iudicandum factum vicecapitanei Tilsensis, qui irruptionem fecit in oppidum regis Wojniuta (cfr. N. 346, ubi tamen non de Wojniuta, sed de Janiutha sermo est).

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Domine.

Actepimus literas eius, ex quibus intelleximus, quomodo factum Vicecapitanei sui Thilzensis, sicut prius, ita et nunc excusat, qui foedus perpetuum tanto tempore illibate inter ea dominia servatum ausus est violare, nam more hostili cum non parva manu in possessiones nostras Magni Ducatus in oppidum Woiniutha districtus Poiurensis ingressus ibidemque, in oppido, uno ex subditis nostris, custode theloni octiso, alterum captivum secum in castrum Thilza abduxit, quem Vestra Illustritas usque ad petita nostra ex vinculis relaxavit. Eam relationem facti nos actepimus ex Consiliario nostro, Magnifico Hieroniimo Chotkowicz, Castellano Trocensi et Capitaneo Samogithiensi, nempe et ex caeteris probis et magnis viris id idem affirmantibus. Et ne facilitas veniae praebat caeteris incentivum delinquendi, neque ipse Vicecapitaneus de tam nefando opere glorietur, constituimus nos ad diem Divi Georgii proximum, hoc est vigesimam quartam mensis Aprilis, Commissarios nostros mittendi, prout mittemus, ad cognoscendum de ea iniuria incursum in dominium nostrum, tum de octiso homine alteriusque captivatione iniusta.

Ad quam diem nos iudices nostros mittemus, a Vestra Illustritate affectantes, ut similiter suos iudices ad diem praescriptum mitteret ipsique suo Vicecapitaneo Thilensi se sisti coram utrisque iudicibus in eodem oppido nostro Woiniutha mandaret, qui se illic de operibus praemissis coram iudicibus utrisque iustificaret. Quicquid autem Vestra Illustritas de rebus huiusmodi in votis habebit, nobis literis suis significare non gravetur. Quod facturam, cum ea bona conservatio pacis exposcit, non dubitamus. Quam foeliciter valere desideramus. Datum Vilnae, die octava mensis Martii, anno a Christo nato MDXLVII.

^{a)} *Sigismundus Augustus Rex subscriptis.* ^{b)}

^{a)-b)} *manu propria.*

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro Stanislao Dowojna (Dovoina), palatino Polocensi, ut ei tres subditi profugi restituantur.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 303.

N. 357.

Cracoviae, 21.III.1547.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de bello imperatoris [Caroli V] contra ducem Saxoniae [Ioannem Fridericum].

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Accepimus literas Illustritatis Vestrae, quibus a nobis petit, ut si minus pacem, saltem inducias belli confidere conemur. Sed cum eae cum scriptae fuerunt ab Illustritate Vestra, nondum facta fuit certior de responso nobis dato per Imperatoriam Maiestatem. Quod eiusmodi est, ut secum de pace agi non videatur. Maxime vero si id proprio magis instinctu, sicut scribit Illustritas Vestra, quam aliunde moti fecerimus. Renunciatum est nobis ab Illustri Domino Duce Saxoniae captum esse Illustrem Dominum Albertum Marchionem Brandenburgensem, pro nepotem nostrum charissimum. Ea res magis etiam provocabit iram Caesaris, qui cum ingenti exercitu dicitur in Saxoniam adventare, ac ut sit iam ullus locus deprecationi, metuimus.

Quam ob rem quemadmodum causam hanc adgrediamur, non videntur. Nos de religione tractare aliquid cum Caesarea Maiestate fas non est. De qua pridem recte constitutum est et nunc in Oecumenico Concilio constituitur. Aliud consilium non reperimus, quam ut Dominus Dux Saxonie Imperatoriae Maiestatis autoritatem agnoscat, illius clementiam imploret ac quoquo modo placatam sibi Maiestatem eius reddere conetur. Aliam conficienda pacis rationem nullam excogitare possumus. Utinam vel hac saltem succedat. Sed alias literas Illustritatis Vestrae expectabimus, quas cubicularius noster perferet, per quem illam de Caesaris responso faciemus certiorem.^{a)} Cracovia, XXI Marcii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

^{b)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria
Samuel Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscriptis.^{c)}

a) verbum: certiorem in margine additum est.

b)-c) manu propria Samuelis Maciejowski.

N. 358.

Cracoviae, 22.III.1547.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de bello imperatoris [Caroli V] contra Saxoniam; de mandato consiliariis suis dato, ne quid terrae nostrae Prussiae detrimenti capiant.

Sigill. II.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Commendamus vigilantiam Illustritatis Vestrae in providendo, ne quid mali terris nostris Prussiae eveniat propter vicinum malum. Nos

ex ipsius etiam Imperatoriae Maiestatis literis cognovimus, quod Saxoniā, non maritimas civitates, occupare cogitet. Et iam esse in Missnia fertur cum non contemnendo exercitu frater eius, Serenissimus Dominus Romanorum Rex, qui^{z)} cum suas coniunget copias Imperatoria Maiestas. Verum, utcunque se res habet, quamvis de voluntate in nos utriusque fraternalē Maiestatis non nisi optima queque nobis pollicemur, dabimus tamen ad Consiliarios terrarum nostrarum Prussiae mandata, ut ad eum quem scribit modum Illustritas Vestra provideant,^{z)} ne quid terrae nostrae Prussiae detrimenti capiant.

De Masovia vero, quandoquidem presentes nunc adsunt Regni nostri Senatores, communicato cum illis consilio, quod e re magis esse videbimus, statuemus. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum Cracoviae, XXII Marcii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria
a) Samuel Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscriptis.^{b)}

a)-b) *manu propria Samuelis Maciejowski.*
z) *sic in ms.*

N. 359.

Vilnae, 22.III.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
requirit liberationem subditorum suorum, quorum sola culpa erat, quod
mel et ceram contra ducis prohibitionem mercati erant, et qui capti
in turrim coniecti sunt.
(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

(Cum schedula notificationem facti continente)

H B A, B 1, K. 303.

N. 360.

Vilnae, 10.IV.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de intercessione sua apud patrem in causa liberationis Alberti marchionis
Brandenburgensis iunioris.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Vix acerbius quicquam hoc tempore posset nobis accidere, quam
casus iste Illustrissimi Principis Domini Alberti Marchionis Brandebur-

gensis, affinis nostri charissimi, pro cuius liberatione atque in primis
hoc bello toti Reipublicae Christianae perniciose extinguendo probantur
nobis raciones, quas Illustritas Vestra diserte et prolixe scripsit. Qua
in re scripsimus iam Sacrae Maiestati Regiae, Domino parenti nostro
colendissimo, racionesque ipsas proposuimus, magno studio petentes, ut
authoritatem operamque suam interponere dignaretur. Scripsimus et
nonnullis ex Senatu, ut ad rem ipsam studia consiliaque sua conferrent.
Faxit Deus Omnipotens, ut foeliciter cedat, quo nobis nihil charius con-
tingere posset. Sed et nos ipsi nullum officium recusaremus, quod ad
pacandum hoc perniciosum bellum et Principis illius, affinis nostri cha-
rissimi, liberationem pertineret.^{a)} Bene ac foelicissime valeat Illustritas
Vestra. Vilnae, die X Aprilis, anno Domini MDXLVII.^{b)}

c) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{d)}

a)-b) *alia manu.*

c)-d) *manu propria.*

N. 361.

Vilnae, 13.IV.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio capitanei Tilsensis et de finibus regundis.*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Accepimus literas Illustritatis Vestrae, quibus non recusat fieri iudi-
cium de incursione violenta Capitanei sui Tilsensis in oppidum nostrum
Voyniuta et factori vi illata per iudices commissarios utrinque deputandos.

Cupit tamen, ut negocium finium inter Magnum Ducatum nostrum
Lituaniae et Ducatum suum Prussiae una et eadem opera per eosdem
iudices decidatur ac terminetur. Qua in re non possumus desiderio
Illustritatis Vestrae satisfacere. Nam de negocio limitum inter haec do-
minia transigendo, multis gravioribus Reipublicae negotiis occupati, non
potuimus cum Senatu nostro quicquam certi statuere. Quod quidem
negocium maiori deliberatione longiorique tempore indiget. Sed haec vis
dominio oppidoque nostro, in cuius pacifica possessione maiores nostri
fuere et nos ipsi sumus, recens illata, quam nos aequidem non parvi
facimus, prius veniet cognoscenda.

Quam ob rem ab Illustritate Vestra diligenter postulamus, ut ad
diem Mercurii post festa Pentecostes proximam iudices suos illuc mittat,
nosque idem sumus facturi. Speramusque Illustritatem Vestram in Capi-
taneum suum Tilsensem, si reus et nocens convictus fuerit, ita animad-
versuram pro dignitate iureque nostro, ut caeteri eius exemplo deterriti
ab huiuscemodi violentiis abstineant. Commissarii autem nostri ad oppi-
dum nostrum Gorsdi ad diem dictum venturi sunt, Vestrae autem Illustri-
tatis ad locum proximum fundi Illustritatis Vestrae veniant remque

audiant et ex aequo decernant. Quod ut Illustritas Vestra facere velit,
iterum atque iterum hortamur. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die
XIII mensis Aprilis, anno Domini MDXLVII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 362.

Cracoviae, 17.IV.1547.

Sigismundus I rex Poloniae
commissariis suis
de constituendis limitibus.

Sigill. I

HBA, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Reverendo in Christo Patri, Domino Tidemanno¹⁾ Episcopo Culmensi,
Magnifico Achatio Czema Palatino Marieburgensi, Capitaneo Stumensi,
et Generosis Ioanni Dzalinski Castellano Culmensi, Capitaneo Bratiensis,
Raphaeli Brodnicensi Capitaneo, fratribus, syncere et fidelibus
dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverende, Magnifice, Generosi, syncere et fideles dilecti.

Cum esset controversia de fluvio Wickrawe, alias Vela nuncupato,
inter nostros et Illustris Domini Alberti Marchionis Brandenburgensis
et in Prussia Ducis, nepotis nostri charissimi, subditos, Synceritatibus
et Fidelitatibus Vestris ac aliis nonnullis, iam vita functis, commiseramus,
ut in rem praesentem venirent et fines istos terminarent. Sed cuius
culpa factum fuerit, nescimus, ut rebus inchoatis discederetur. Nunc
denuo Synceritatibus et Fidelitatibus Vestris committimus, ut cum iis,
qui designati fuerint eadem de re Commissarii ab Illustri Domino Duce,
captato tempore oportuno, ad ceptum opus redeant et limites istos consti-
tuendos tamen aliquando current, partis utriusque privilegiis et iuribus,
si quae producta fuerint, perlectis, scopolis etiam et quibusvis aliis
signis metalibus inspectis et senum fide dignorum testimoniis examina-
tis, neutri partium faventes, sed solum Deum et iusticiam eius pree-
oculis habentes. Facturae pro gratia nostra, fide atque officio vestro.
Datum Cracoviae, decima septima Aprilis, anno Domini MDXLVII,
Regni vero nostri XLI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

1) Giese.

N. 363.

Cracoviae, 18.IV.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

per nuntium in scriptis se ad postulationem ducis respondisse significat.

(Samuel [Maciejowski] ep. Cracoviensis et Regni Poloniae Cancellerius subscriptus).

Sigill. I.

HBA, B 1, K. 303.

N. 364.

ex arce Trocensi, 23.IV.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de morte uxoris, ducissae Dorotheae, duci condolet; per Florianum

Zebrzydowski mittit litteras eumque commendat.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

HBA, B 1, K. 303.

N. 365.

Cracoviae, 8.V.1547.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de morte uxoris condolet.

(m.p. reginæ subscriptum)

Sigill. X.

HBA, B 1, K. 303.

N. 366.

Cracoviae, 9.V.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de morte uxoris condolet; de insuccessu mediationis suae in Germania
nuntiat.

Sigill. I.

HBA, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quod Illustritas Vestra in istum luctum inciderit ex desideratissime
coniugis sue morte, magnum ea res nobis quoque merorem attulit, qui

secunda omnia Illustritati Vestrae evenire cupimus. Sed quando ita Deo visum est, feramus oportet aequo animo. Dominus dedit, Dominus abstulit, qui nunc animum Illustritatis Vestrae perturbavit, idem postea consolari dignabitur.

Non dubitamus, quin perlatum iam sit ad Illustritatem Vestram de his, quae acta sunt per Caesaream Maiestatem, vellemus nos quidem sine caede et sanguine transactam rem fuisse. Ac libenter nostram ea in re operam interposuissemus. Sed cum et Caessarea Maiestas parum propensa voluntate ad concordiam esse videretur, et ab altera parte nullae nobis certae condiciones praescriptae essent, quibus redditus in gratiam opera nostra confici possit, necessario nobis fuit supersendum. Utinam autem pacatis in Germania rebus, sine caede et sanguine, contra Crucis hostes veros iste convertatur. Optamus Illustritatem Vestram diu foelicem valere. Datum Cracoviae, IX Maii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 367

Vilnae, 10.V.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de sua apud patrem et Senatum intercessione in re Alberti Brandenburgensis iunioris; de negotio invasionis violentae in oppidum Wojniuta; de finium controversiis; pro equo gratias agit.

Stgill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Quam graviter feramus casum Illustris Domini Alberti Marchionis Brandenburgensis, consanguinei nostri charissimi, ex superioribus nostris literis facile Illustritas Vestra cognoscere potuit. Pro cuius liberatione atque bello hoc Reipublicae Christianae perniciose sopiendo extinguedoque Sacram Maiestatem Regiam, Dominum parentem nostrum colendissimum, nonnullosque ex Senatu Regni nostri tametsi studiosissime interpellaverimus, tamen iterum atque iterum monere, hortari urgereque non desinemus, et quicquid officii nostri fuerit, prompto et alaci animo facere sumus parati.

Quod ad dictum diem invasionis violentae in oppidum nostrum Voynyuta decidenda Illustritas Vestra iudices suos commissarios missuram se ultro citroque pollicita sit, id quod aequitas et honestas suadere videtur, est id nobis pergratum. Mandavimus, ut etiam iudices nostri ad diem statutum compareant illic, et quod iusticia postulabit, faciant. Porro de negocio generalium limitum inter haec dominia nostra determinando nondum quicquam deliberare statuereque potuimus, partim alias multis impediti negociis, partim ob absentiam a nobis Senatorum. Quod quidem aliud tempus commodius habere poterit, ut transigatur. Equum generosum et pulchrum, desiderio nostro respondentem, acce-

pimus pergrato animo curabimusque hunc Illustritatis Vestrae erga nos affectum studiumque favore nostro ac re ipsa referre. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die decima mensis Maii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus rex subscriptus.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 368.

Cracoviae, 13.V.1547.

Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duct
pro Iacobo Rościszewski, qui pecunia mulctatus ad tempus eam non numeraverat.

Sigill. I.

(Cum annexo: litterae orig. anulo obsignatae Andreeae Willamsdorff ad Albertum de eadem re de die 17.VI.1547; sic.).

HBA, B 1, K. 303.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Renunciatum est nobis Nobilem Iacobum Rosciszewski, Subiudicem terrae nostrae Plocensis, ob delictum quoddam suum ab Illustritate Vestra certa peccunia mulctatum esse. Quam peccuniam quoniam ad constitutum tempus non numeraverat, villam ei praeterea ademptam esse. Ab Illustritate Vestra postulamus, ut mulctam ab eo pecuniariam actepisse contenta sit, villam autem restitui mandet. Rem nobis gratam factura. Datum Cracoviae, XIII Maii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

a) Ex commisione Maiestatis Regiae propria
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Regni Poloniae Cancellarius.^{b)}

a)-b) manu propria Samuelis Maciejowski.

Annexum:

Durchleuchtigister, hochgeborner furst, gnedigster herr, Eurn Furstlichen Gnaden sein meine willige und verpflichte dinste mit untertenigem gehorsam altzeit zcuworn.

Gnedigster furst und herr.

Es haben Eure Furstliche Gnade einen brief an mich schreiben lassen, des datum Konigsperg den 1. Iunii, welches inhalt und kurtzer begrief, of Jacoben Roschischevsky, Plotzkischem underrichter, über die geltstraffe, so sein sohn mit einer gewalt verwurcht, noch ein dorf eingenommen und aus welcher ursachen oder gestalt des zugangen Eurer Furstlichen Gnade grundliche schriftliche antzeigung zu thuen.

Daruff fuge ich Eurer Furstlichen Gnade zcum untertenigsten in autwort zu vornemen vor das erste, das mir als diesmals abwesende Eure Furstliche Gnade schreiben erst am 13. Junii zu handen kommen. Do habe ich als balde nach obgemeltem Roschischevsky oder seinem anwalt geschickt, mich an ihme selbst desto grundlicher zu erkundigen und disfals zu erfragen. Aber keiner dismal einheimisch funden.

So werde ich vom amptschreiber bericht, das ob wol die geltstrafe von vilgetzeigtem Roschischevsky genommen, so solle ihm gleichwohl kein dorf wieder eingenommen noch auch zum wenigsten nicht gepfendet sein. Uber dis ist des Roschischevskens hausfraw heut dato vor mir erschienen sampt dem diener, so Eurer Furstlichen Gnade den brief von königlicher maiestat gebracht und dem hern ertzbischofen zustendig und gleichstimmig mit ihme angetzeigt, es wehr ihrem manne über die geltbusse von guttern nichts entnommen. Dis habe ich uff Eure Furstliche Gnade schrifflichen bevelich Eurer Furstlichen Gnade in untertenigkeit nicht wissen zu bergen. Euern Furstlichen Gnaden (welche ich hiemit gotlichem schirm und schutz treulich und langwirig uns armen unterthanen zu trost und heil zu erhalten bevele) mit meinem hohisten vormögen zu dienen, erkenne ich mich jder zzeit schuldig und pflichtig.

Datum Soldaw den 17^{en} Iunii anno im 47^{ten}.
E.F.G. untertenigster
Anndres von Willamsdorff.

N. 369.

Vilnae, 26.V.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de lignis ab administratore Jurboriensi excisis et evectis.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 303.*

N. 370.

Lobzów, 31.V.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de impendentibus terris Prussiae periculis ex tumultibus Germanicis,
de bello civili in Germania.
Sigill. I.
H B A, B 1, K. 303.*

Sigismundus etc.

*Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.
Accepimus Illustritatis Vestrae litteras, quibus de impendentibus
terrī nostris Prussiae periculis nos admonet ac simul a nobis petit,
ut providere velimus, ne quid propter motus istos Germanicos terrae*

nostrae Prussiae detimenti capiant. Illud simul a nobis postulat, ut opem atque operam nostram interponamus, quo motus isti reprimi et rationes inveniri queant, quibus Illustris Principes, Dominus Ioannes Fridericus Saxoniae Dux et pronepos noster Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis ex ea, in qua sunt, custodia liberari queant. Nos nil malemus, quam id, quod Illustritas Vestra cupit, exciale bellum hoc extingui et Principes nobis arcta necessitudine coniuncti optata libertate frui possint.

Illud autem in primis optamus, ut ne quid ad nostras et Illustritatis Vestrae Prussiae terras ex tumultibus iis Germanicis incommodi redundet. Misimus itaque Nunctium ad castra Caesareae Maiestatis et Regiae Romanorum, ut is diligenter exploret animum Caesareae Maiestatis,^{a)} num bona cum illius venia mittere nobis Oratorem aliquem liceat, qui de ratione motuum istorum sedandorum et reducendorum in gratiam eorum, quibus offensa est Maiestas eius, cum illa tractet. Huius Nunctii nostri redditum in horas expectamus. Qui simul ut reversus fuerit, nihil eorum praetermittimus, quae vel ad tranquillitatem terrarum nostrarum Prussiae conservandam, vel ad reconciliandam gratiam Caesareae Maiestatis his, qui in offenditionem illius inciderunt, pertinere videbuntur. Bene valere optamus Illustritatem Vestram. Datum in Lobzow, ultima Maii, anno Domini MDXLVII, Regni nostri **XLI**.

^{b)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{c)}

^{a)} Maiestatis *supra lineam*.

^{b)-c)} alia manu.

N. 371.

Vilnae, 1.VI.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de sua nova apud patrem intercessione in causa mediationis inter imperatorem [Carolum V] et principes Germaniae; de negotio invasionis violentiae in oppidum Wojniuta.

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Dici non potest, quantum doloris attulerit nobis casus Illustris Principis Domini Ducis Saxoniae, Romani Imperii Electoris. Sed quum Deo Omnipotenti sic visum est, sine cuius nutu nihil geritur, et voluntati eius non est qui resistere posset, aequo ferendum est animo. Quae Illustritas Vestra diligentius perpendenda censem, haec eadem nos iam pridem animo revolentes, scripseramus Serenissimo Regi, Domino parenti nostro colendissimo, et nonnullis ex Senatu, quod nunc rursus hac novitate rei permoti diligentius suggessimus. Speramusque Sacram Maiestatem Regiam pro sua singulari prudentia innata et longo rerum usu quaesita, capto consilio, tempestive his rebus prospecturam esse. Quicquid officii nostri esset, non aequidem in nobis desiderari pateremur.

Quod Illustratas Vestra iudices commissarios ad dictum diem miserit negotii invasionis violentiae in oppidum nostrum Voynuta cognoscendi causa, fecit quod merito debuit. Universalis autem finium decisio nunc fieri non potest ex causis, quas pluribus iam literis scripsimus. Quod aequi bonique consulat, cupimus. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die prima mensis Iunii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 372.

Vilnae, 12.VI.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro subditis suis propter mercaturam mellis captis.
(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

N. 373.

Vilnae, 13.VI.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
nobilem Stanislaum Wodziński (Vodinski), adolescentem, commendat.
(m.p. regis subscriptum)

Vest. sigilli.

H B A, B 1, K. 303.

N. 374.

Vilnae, 30.VI.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
exemplum litterarum ducis de moliminibus imperatoris [Caroli V]
misisse se patri ac episcopo Cracoviensi [Samueli Maciejowski], ut
providerent, ne quid Respublica detrimenti caperet.

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 303.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Quae Illustratas Vestra ad nos novissimis literis scripsit, certior
facta ab amicis necessariisque suis, de moliminibus Serenissimi Roma-

norum Imperatoris, abunde intelleximus, moxque ad Sacram Maiestatem Regiam, Dominum parentem nostrum colendissimum, et Reverendissimum Dominum Episcopum Cracoviensem diligentissime scripsimus et literarum Illustritatis Vestrae exemplum misimus, monentes petentesque, ut ita providerentur omnia, ne quid Respublica caperet detrimenti, utque Sacra Maiestas Regia Illustritatem Vestram doceret, quid facto opus sit. Nos aequidem nihil praetermitteremus, quod ad officium nostrum pertineret, nec praetermitteremus unquam. Sed Illustritas Vestra facile perspicit, quae nostri officii nunc sunt. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die ultima mensis Iunii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

N. 375.

Vilnae, 1.VII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
condonat de captivitate electoris Ioannis Friderici.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime, salutem et foelicitatem.

Casum Illustrissimi Principis Electoris et conditiones pactaque ex animo dolemus. Sed quia ludit in humanis divina potentia rebus et certam praesens vix habet hora fidem, nihil est adeo calamitosum, ut non ex aliqua parte levetur. Cedet fortasse hoc fortunae telum ad Reipublicae Christianae pacem et incrementum. Quod Deus faxit. Caeterum, admonitionem Illustritatis Vestrae de rebus nonnullis grato ac libenti accipimus animo. Si quid demum scriptu dignum evenerit, scribat saepius cupimus. Rem nobis factura gratam et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, ad primam diem Iulii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

N. 376.

Vilnae, 2.VII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat, ut nobilibus ex districtu Velunensi (Velona) mancipia cum
rebus furto ablatis restituantur.
(m.p. regis subscriptum)*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 304.

N. 377.

Vilnae, 7.VII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Barbara Ławrynowicz in re hereditaria.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 304.*

N. 378.

Vilnae, 8.VII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum de violenta incursione vicecapitanei Tilsensis in Magno Ducatu
Lithuaniae facta.
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 304.*

Sigismundus Augustus etc.
Illustrissime Princeps et Domine, Consanguinee noster Charissime.
Actepimus litteras Vestrae Illustrissimae Dominationis, quae continebant omnem processum descriptum per Commissarios eius, occasione violenti ingressus in dominium nostrum per Vicecapitaneum eius Thilzensem. Quem processum eiusdem facti Commissarii nostri, qui erant ad cognitionem causae illius per nos deputati, nobis satis copiose descripserunt, id idem asserentes. Post auditam querimoniam et probationes actoris reus, ut puta Vicecapitaneus Tilzensis, accusatus de violentia et probatione manifestissima, tum ex confessione eius spontanea, pro convicto habitus. Peciiit ipse reus, ut litis contestationem seu excusationem suam ad probandum admitterent, pro quo et sententiam Vestrae Illustrissimae Dominationis Commissarii proferre voluerunt. Quae eius probatio nullo iure admissibilis esse potest. Nam si actor in probationibus deficeret, reus deberet absolvi. Sane Vestra Illustrissima Dominatione cognoscere poterit, dato quod etiam ipse Theolonarius²⁾ noster in Kocicze excessus quospiam admisisset, neutique^{a)} ius erat ipsi Vicecapitaneo eum captivandi et puniendi, cum de ipsa villa Kocicze nondum est plene determinatum, ad quod dominium spectare debeat. Ratio in hoc habenda erat, cum scivit eum esse nostrum Theolonarium, plus eius punitio officio nostro conveniebat quam ipsi Vicecapitaneo. Eo magis sunt legitime et fide digne probationes in Voiniuta et non Kocicze esse captum.

Et cum huiusmodi crimen inpunitum adhuc manet, a Vestra Illustrissima Dominatione postulamus, ut res ipsa ex decreto eius iustum haberet

finem, ne venie facilitas aliis occasio delinquendi esset, iterumque iudicium esset probationesque pro parte nostri servitoris Theolonarii audi- rentur, et quod aequum eis auditis videbitur, decerneretur, quo utraque pars contenta esset. Non dubitamus Vestram Illustrissimam Dominacionem pro bono vicinitatis aliter facturam. Ac ut in pristino statu et pace fierent omnia, suis iniungere dignabitur. Quam tandem desyderamus fau- stam ac foelicem valere. Datum Vilnae, die octava mensis Iulii, anno a nato Iesu Christo MDXLVII.

b) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{c)}

- a) *in ms. naeutique.*
- b)-c) *manu propria.*
- z) *sic in ms.*

N. 379.

Vilnae, 16.VII.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis.

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Etsi recenti teneamus memoria Vestram Illustritatem anno superiori nobis liberam facultatem universarum mercium silvestrium et id genus aliarum, absque cuiusque telonei pensitatione, in Prussiam mittendarum concessisse, hocque nomine suas mandati litteras ad Capitaneos suos in Labia et circum circa agentes dedisse, tamen quoniā anno transacto bonorum nostrorum Praefecti, fortasse aliis, ut fieri solet, rei familiaris negotiis magis intenti, ac etiam propter fluviorum solito aridorem ubertatem, in hoc mercatus genere parvam exilemque satis insumpserint operam.

Postulamus itaque, ut iterum nunc Illustritas Vestra nobis alias si- miles prioribus litteras dare velit, quibus suis Capitaneis inhibeat, ne ab eiusmodi mercibus nostris aliquod vectigal exigant. Imo ut illarum admi- nistratores pro necessitatibus ratione non minori fide quam diligentia tueri ac promovere curent, cupientes, ut hac libertate ad triennium usque nobis uti liceat. Factura Illustritas Vestra nobis rem gratam parique ani- mi voluntate rependendam. Quam bene et feliciter valere optamus. Da- tum Vilne, die XVI mensis Iulii, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

- a)-b) *manu propria.*

N. 380.

Petricoviae, 17.VII.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*Stanislaum Laski legatum ad imperatorem [Carolum V] in rebus ducis
designat.*

Sigill. I.

(Adest versio germanica).

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quam sit sollicito animo Illustritas Vestra de terris Prussiae, ex litteris illius intelleximus. Cupimus illi pro virili nostra succurrere. Atque ideo Legatum ad Caesaream Maiestatem designavimus Magnificum Stanislaum a Lassko, Palatinum Siradiensem. Quem prius Illustritatem Vestram convenire iussimus. Per hunc, quae sit voluntas nostra, Illustritati Vestrae paulo post explicabimus. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Piotrcoviae, decima septima Iulii, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

^{a)-b)} manu propria Samuelis Maciejowski.

N. 381.

Vilnae, 17.VII.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

liberationem trium captivorum, subditorum suorum, postulat, alioqui subditis ducis commercia in Magno Ducatu Lithuaniae interdicturus.

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 304.

N. 382.

Petricoviae, 18.VII.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae credentiales pro Stanislaeo Laski, palatino Siradiensi.

Vest. sigilli. I.

H B A, B 1, K. 304.

N. 383.

Petricoviae, 19.VII.1547.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae curiales, per Stanislaum Laski missae.
(m.p. reginae subscriptum)
Vest. sigilli.
H B A, B 1, K. 304.*

N. 384.

Petricoviae, 20.VII.1547.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae curiales de Ioanne Rautero, ducis legato.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 304.*

N. 385.

Vilnae, 21.VII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Thomae Ranisch et Ioanni Strecksus, ducis subditis, ligna et cineres
ex silvis Magni Ducatus Lithuaniae libere educi permettere se non
posse, speciali constitutione id vetante.
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 304.*

*Sigismundus Augustus etc.
Illustrissime Princeps et Domine, Consanguinee noster Charissime.
Actepimus literas eius, per quas optat, ut civibus eius Regiomontaniis, Thome Ranisch et Ioanni Strecksus, ligna et cineres libere educi ex sylvis Magni Ducatus et usque ad optata emporia traduci permettemus. Petitis Vestrae Illustrissimae Dominationis satisfacere non recusaremus, sed quia constitutio illa ab universis Ordinibus huius dominii nostri in Conventione Generali sancita et decreta est, omnia ligna huiusmodi, picem et cineres non nisi ab Offitialiibus nostris emendos esse et aere de thesauro nostro solvendos, eapropter non possumus quicquam huiusmodi decreto in quopiam derogare aut illud infringere, cum non videtur esse onerosum subditis Vestrae Illustrissimae Dominationis, quibus, sicut caeteris, iustum et constitutum praetium pro lignis ac cinere*

solvetur. Quo cognito, Vestra Illustrissima Dominatio eam excusationem nostram boni consulat, optamus. Quam tandem sospitem ac foelicem valere desyderamus. Vilnae, die XXI mensis Iulii, anno a nato Christo MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 386.

Vilnae, 29.VII.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*Andream Lewicki, bonorum Wierzbowo (in ms. Vierzbovo) in Prussia
Ducali possessorem, commendat.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 304.

N. 387.

Petricoviae, 30.VII.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum de causa Hermensdorff-Ketting.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

N. 388.

Vilnae, 7.VIII.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*se etiam legato patris ad imperatorem [Carolum V] commisisse nuntiat,
ut desideria quoque sua exponeret.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Pergratum nobis accidit, quod Serenissimus Rex, Dominus parens noster colendissimus, et sua sponte et nostris precibus annuens, mittendum statuerit ad Sacram Caesaream Maiestatem Oratorem suum Magnificum Stanislaum a Lasko, Palatinum Siradiensem. Cui etiam commisimus, ut in iisdem negotiis, quorum causa a Serenissimo Rege, Domino parente nostro mittitur, desideria nostra diligentissime exponat. Nihilque dubitamus, quin pro suo non vulgari ingenio et eloquentia dextere sit ea curaturus. Atque utinam ex animi sententia conficiat omnia, quo

vix nobis quicquam gratius contingere posset. Bene ac foeliciter valeat Illustritas Vestra. Vilnae, die VII mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.
b)

a)-b) manu propria.

N. 389.

Vilnae, 10.VIII.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de instructione et litteris ad imperatorem [Carolum V] et regem [Ferdinandum] Stanislao Łaski datis.

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Literis Magnifici Stanislai a Łasko iam respondimus et nostras ad Serenissimos Principes, Imperatoriam et Regiam Romanorum Maiestates, fidei misimus, cum instructione earum, quae acturus est. Nihilque praetermisimus, quod ad utilitatem Regni nostri et Illustritatis Vestrae pertinere arbitrati sumus. Mittimus etiam nunc fasciculum literarum nostrarum eidem Magnifico Palatino Siradiensi, quem illi transmitti faciat Illustritas Vestra cupimus. Et bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die X mensis Augusti, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.
b)

a)-b) manu propria.

N. 390.

Petricoviae, 13.VIII.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ne dux receptum concedat a Romanorum rege [Ferdinando] quibusdam criminis laesae maiestatis condemnatis.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Nepos noster Charissime.

Misit ad nos nuntium suum Serenissimus Dominus Romanorum Rex, frater et consanguineus noster charissimus, per quem iis, qui sunt a Maiestate eius laesae Maiestatis sive perduellionis crimine condemnati, receptum dari ab Illustritate Vestra queritur, nominatim vero Vilhelmo Skrzinedzki. Nos magno studio laboramus, ut offendum animum Sere-nissimorum fratrum erga Illustritatem Vestram placare et rationes Illu-

stritatis Vestrae in tuto collocare possimus. Interea temporis aliiquid ab Illustritate Vestra fieri, quod magis etiam animos Maiestatum earum offendat, aequum non est, perduelles cuiusquam et lesae Maiestatis convictos recipi non decet. Multo minus eorum perduelles, qui cum tot causis necessitudinis coniuncti nobis sint, modis omnibus eorum amicitiam retinere cupimus. Quare Illustratem Vestram hortamur atque ei iniungimus, ut ne receptum cuiquam det ex perduellibus Regiae Romanorum Maiestatis, sed eos ex ditione sua alio migrare iubeat, ne, si secus fecerit, gravius inde aliquid oriatur. Cupimus Illustratem Vestram bene valere. Piotrkoviae, XIII Augusti, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

^{a)} Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

a)-b) manu Samuelis Maciejowski.

N. 391.

Petricoviae, 18.VIII.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat, ut dux describi faciat certa data ex indicibus castrorum.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Quoniam habere dicitur Illustritas Vestra indices castrorum et oppidorum et villarum, ad quodlibet castrum aut oppidum seorsum pertinentium in terris nostris Prussiae, postulamus ab Illustritate Vestra, ut ex iis describi faciat, quae villae antiquitus pertinuerint ad castrum nostrum Lypno sive Leib, quae ad castrum nostrum Covalevo sive Schensehe. Optamus Illustratem Vestram bene valere. Datum Piotrkoviae, XVIII Augusti, anno Domini MDXLVII, Regni vero nostri XLI.

Ex commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

N. 392.

Vilnae, 23.VIII.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
Stanislaο Łaski se pro ducibus Pomeraniae scripsisse significat; de controversia in re limitum componenda.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Cordi nobis sunt raciones Illustrium Dominorum Ducum Pomeraniae. Proinde scribimus Magnifico Stanislaο Łaski, Palatino Siradiensi,

Sacrae Regiae Maiestatis paternae et nostro Legato, ut eorum negotii apud Sacram Caesaream Maiestatem diligentem curam habeat. Quod facturum minime dubitamus.

De finibus etiam inter bona Sacrae Maiestatis Regiae, Domini parentis nostri colendissimi, Vasosche Ducatus Masoviae, et Illustritatis Vestrae Johanspurgk, scripsimus Sacrae Maiestati Regiae racionesque adiunximus, ut unus quisque quod suum est habeat, et controversiis finis imponatur. In caeteris, ubi aequitas dignitasque nostra patietur, affectum, autoritatem et operam nostram Illustritati Vestrae promptam et param offerimus. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die XXIII mensis Augusti, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 393.

Petricoviae, 25.VIII.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de legatione Stanislai Laski ad imperatorem [Carolum V].*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps, Domine, Nepos noster Charissime.

Accepimus litteras Illustritatis Vestrae, quibus consultum fore scribit, quandoquidem futuri sunt eciam apud Caesaream Maiestatem Oratores Serenissimi Domini Regis Daniae, ut qui missus a nobis eo fuerit, summam suae legationis cum illis communicet. Probatur nobis hoc Illustritatis Vestrae consilium, ac Legato nostro, ut ita faciat, mandabimus, ac omnibus in rebus sive ad Illustritatem Vestram, sive ad alios quosvis duces pertinentibus coniuncta eorum opera utatur.

Perscripsimus etiam ad Serenissimum Dominum Daniae Regem capita rerum, de quibus Oratorem nostrum ad Caesaream Maiestatem mittimus, nimirum de liberando Domino Duce Saxoniae, aut saltem conditionibus, quae illi date sunt duriores, mitigandis; itidem de liberando Domino Lantgravio Hessie, aut saltem tollerabiliore aliquo in statu collocando; de reducendis in gratiam Caesareae Maiestatis Ducibus Pomeraniae; deinde, quod est praecipuum, de proscriptionis decreto, quod a iuditio Cameræ contra Illustritatem Vestram latum est, abrogando. Has nostras litteras transmitti ad Serenissimum Regem Daniae per Illustritatem Vestram velimus. Ad Regiam quoque Romanorum Maiestatem et Archiduces Austrie dari litteras mandavimus, omnia sedulo facturi, quo Legatus noster fructum aliquem laborum suorum ferre possit. Bene valere Illustritatem Vestram optamus. Datum Piotrcovie, XXV Augusti, anno Domini MDXLVII, Regni nostri XLI.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria.^{b)}

a)-b) *manu Samuelis Maciejowskii.*

N. 394.

Petricoviae, 7.IX.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
gaudet ducem profugos Bohemos in Prussia non recepisse.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Ex literis Illustritatis Vestrae gratum nobis fuit cognoscere, quod nullis ex Bohemia profugis receptum dederit. Deinceps quoque receptum eis dari non permittat. Nollemus enim Serenissimos et Excellentissimos fratres istos aliquam occasionem habere contra Illustritatem Vestram, quorum amicitiam retinendam esse modis omnibus censemus. Cupimus Illustritatem Vestram bene valere. Datum Piothrcoviae, VII die Septembris, anno Domini MDXLVII.

Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria.

N. 395.

Petricoviae, 30.IX.1547.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Ioanne Szumski ad ducem proficiscente, quia tres subditi ducis necasse dicuntur Stanislaum Brzozowski, affinem eius.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

N. 396.

Vilnae, 18.X.1547.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de teloneis et vectigalibus.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Pergratum nobis est, quod Illustritas Vestra ligna, cineres resque nostras id genus sylvestres per ditionem suam absque ullo vectigali et impedimento, sive Gedanum, sive trans mare, permitti fecerit, quoties a factoribus nostris missae fuerint. Curabimus hoc studium et benevolentiam Illustritati Vestrae referre. Et quia cineres in camera nostra Kawnensi probari solent, non est opus, ut rursus in civitate Illustritatis Vestrae Monte Regio probentur. Quod si cives illi ius aliquod se habere

allegarent, non paciatur Illustritas Vestra res nostras illi iuri subesse. Quicquid autem rerum huiusmodi aliquando missum fuerit, id totum signo nostro (ac literis et signo etiam Nobilis et Famati Ioannis Kopp, civis Gedanensis, servitoris nostri, cui hoc onus commisimus) praefectis, teloneatoribus ac civibus illis Vestrae Illustritatis Montis Regii declarabitur expresse, ita ut nemini liceat quicquam fraudis admittere. Quin etiam cupimus, ut recognitiones a teloneatoribus Illustritatis Vestrae, quantum rerum ipsarum demissum fuerit, illi dentur et in registrum scribantur, ac in fine eiuslibet anni ex registris per teloneatores Illustritatis Vestrae exscribantur et nobis mittantur, ut claram omnium videamus rationem. Ipsum vero Ioannem Kopp ac eius servitores, tam in nostris quam eius rebus, Illustritati Vestrae diligenter et ex animo commendamus. Quicquid benevolentiae et operae in eum contulerit, pergratum nobis erit et re ipsa aliquando referemus. Bene ac foeliciter valeat. Vilnae, die XVIII mensis Octobris, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a·b) *manu propria*.

N. 397.

Petricoviae, 21.X.1547.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

iterum in causa Hermensdorff-Ketting. Ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae propria. Samuel [Maciejowski] Episcopus Cracoviensis et R.P. Cancellarius subscripsit.

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

N. 398.

Vilnae, 21.X.1547.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae curiales per Volmerum a Kunheim.

(m.p. regis subscriptum)

Vest. sigill.

H B A, B 1, K. 304.

N. 399.

Petricoviae, 6.XI.1547.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro Iacobo Swiderski, notario suo.

(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 304.

*Sigismundus I rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
in causa Hermensdorff-Ketting.*

Sigill. I.

H B A, B 1, K. 304.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
octo malos se regi Daniae non negare nuntiat.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. VI.

*(Annexa: mandata ad praefectos praediorum in finibus Ducatus
Prussiae:*

*1) in lingua ruthena m.p. regis subscriptum, sigill. VI, 2) in lingua
polona, 3) summarium mandati originalis latine scriptum).*

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Salutationem Illustritatis Vestrae et multae foelicitatis praecationem
grato animo accipimus. Fieri enim non potest, quin quod nobis et Regno
dominiisque nostris foeliciter cesserit, idem in dominia Illustritatis
Vestrae redundet. Serenissimo Regi Danorum, fratri nostro charissimo,
non sex, sed neque etiam octo malos negamus. Verumtamen non ex eo
nemore, quod inter nos et Illustritatem Vestram in controversia est,
cuius nos a maioribus nostris possessores sumus. Sed alibi perquiri
faciat Illustritas Vestra. Mandavimus, ut haud mora tradantur, id quod
literis nostris Ruthenis his adiunctis Capitaneis nostris paecepimus.
Et bene ac foeliciter valeat Illustritas Vestra. Petrcoviae, die ultima
mensis Decembris, anno Domini MDXLVII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

Annexum I: mandatum regium in lingua ruthena:

Žikgimont' Av'hust, Božoju milostiju Korol polskii, Velikii Kniaz
litovskii, ruskii, pruskii, žomoitskii, mazoveckii i inych.

Ko všim deržavcam dvorov našich, tym', kotoryi prilehli blizu hranic'
pruskich, povedaem vam, iž tych časov dozvolili esmo kniažati pruskamu
za žedaniem' Eho Milosti v puščach našich tych dvorov deržanie
vašich vypustiti osm' soson velikich na mašty ku potrebe Eho Milosti.
Protož prikazuem' vam, ažeby este v puščach našich, tam hde nam sporu

hraničnoho z' Echo Milostiju ne bylo, dopustiti Echo Milosti onuji osm' soson velikich na mašty dobrovolně vypustiti i vyvezti bez každaha hamovanja, a vezže ne v každom' dvorě pušč našich po osmi soson mae byti vypuščeno, jedno všeho žadaných Echo Milostiju nam o osm' soson, tam hde na jednom městcu, abo poroznu, takovyi sosny v puščach našich mohu myti naideny, i vy by o tom vedali i ty osmi soson na mašty v puščach našich Echo Milosti vypustiti ne boronili, a s kotaroho dvora naša pušč tyi mašty Echo Milosti vypuščeny budut', kazati tot list' naš otdati. Pisan v Petrikove 1547.

Den' indict 6.

...^{a)} Pisar.

b) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{c)}

a) *nomen illegibile*.

b)-c) *manu propria*.

Annexum II: mandatum in lingua polona:

Sigmunth Augusht s Bozey lasky Krol Polsky Wyelkye Kxyaze Lythewskye, russkye, pruskye, zmuthskye, mazowieczkye y ynnych.

Ku wszem dzyerzawczom dworow nassych, thym chtorzy przyległy blyzo granycz pruszych. Powyadamy wam, yssz thich czassow dosswolyszmy Kxazeczu Prusskyemu za ssandanym iego mylossczy w pussczach nassych thich dworow dzyerzaw wassych wypussczycz ossm ssossyen wyelkych na massthy ku potrzebye yego myloszczy. Przethoss przykazuyemy wam, abysszie w pussczach nassych tham, gdzyeby nye bylo sporu ^{a)} granycznego u ^{b)} yego mylossczy, dopussczylsmy yego mylossczy one ossm ssossyen wyelkych na massthy dobrowolnye wypussczycz y wywyesscz, bess kassdego hamowania, a wssakoss nye w kassdyn dworze pusscz nassych po ossmy ssossyen ma bycz wypussczono, yedno thylko szadanya iego mylossczy nassz o ossm ssossyen, tham gdzye na yednym myesstczu, albo y rossno, thakowe ssossnye w pussczach nassych moga bydz naydzyone, y wy byssczye o thym vedyzye y thich ossm sossyen na massthy w pussczach nassych wypussczycz nye bronyli, a ss chtorego dworu nassych pusscz thy masthy yego myloszczy wypussczony beda, thego dwora dzyerzawcza ma yego mylossczy kassacz yego mylossczy then lysth nassz oddacz. Pyssan w Piotrcowye 1547 myessacza decembbris 31. Dzyen indicione 6.

a) *in ms. s polu*

b) *in ms. y*

Annexum III: summarium latine scriptum originalis mandati regii ruthenice scripti:

Sigismundus Augustus etc.

Significamus nostris omnibus Praefectis praediorum in finibus Ducatus Prussiae, quod iis temporibus concessimus Illustrissimo Duci Prussiae excidere ac educere ex sylvis eius et nostris communibus, nondum dislimitatis, sub praefectura vestra octo magnas arbores pinii, ad malos navium aptas. Mandamus itaque vobis, uti Suae Celsitudini

ex iisdem sylvis sine quovis impedimento liberum sit praedictas octo arbores excidere atque educere. Non tamen ex singulis praediis praefecturae vestrae id concedatur, sed tantummodo ex unica praefectura praedii permittendae erunt excidi atque educi. Cum autem excisae atque eductae fuerint, tunc has nostras quoque literas Suae Celsitudini una perferendas quam primum curato. Datum Pyothrkoviae, XXXI Decembris, indicione sexta, anno Domini MDXLVII.

N. 402.

Petricoviae, 21.I.1548.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro nobili Stanislae Kruszewski liberando, qui causa necis Ioannis Goliński in captivitate detinetur, cum non ille, sed alii auctores eius caedis esse sint comperti.

Sigill. II.

(Annexum: Disceptatio de eadem re in Comitiis Petricoviensibus 12.I.48)

HBA, B 1, K. 304.

N. 403.

Petricoviae, 22.I.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

de Nicolai Radziwill missione in re sororum regis; de litteris Alberti iunioris Brandenburgensis in eadem re.

Sigill. VI.

HBA, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Rediit huc hisce diebus Magnificus Nicolaus Radzivil, Magni Ducatus nostri Lituaniae Supremus Marschalcus, a Serenissimo Romanorum Rege, rebus ex animi nostri sentencia confectis, qui etiam attulit literas ad Illustratatem Vestram ab Illustri Domino Alberto Casimiri Marchione Brandenburgensi, forte in negocio Illustrissimarum sororum nostrarum, de quo coram diximus. Quum itaque opportune oblatus esset nobis hic servitor Illustratatis Vestrae, iussimus eum absque mora cum ipsis literis isthuc redire, ut Illustritas Vestra nos redderet certiores, si quid in eo negocio scriptum est. Nos enim hinc postridie festi Purificationis

Virginis Mariae sumus discessuri. Et bene ac foeliciter valeat Illustritas
Vestra. Petrcoviae, die XXII mensis Ianuarii, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria

N. 404.

Petricoviae, 30.I.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat, ut dux ad muniendam arcem Marienburgensem globos tormentarios sibi vendat.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime.

Inter caetera ad muniendam arcem paternam et nostram Marienburgensem necessaria, opus est globis ferreis tormentariis, qui in quodam molendino Illustritatis Vestrae cuduntur. Quare plurimum cupimus, iubeat eos etiam nobis tanti vendere, quanti Illustritati Vestrae venduntur. Rem nobis factura necessariam, ob idque gratam, favore nostro referendam. Bene ac foeliciter valeat. Petrcoviae, die penultima mensis Ianuarii, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

N. 405.

Petricoviae, 1.II.1548.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
se in negotiis ducis apud regem partes suas interposuisse nuntiat.
(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 304.

N. 406.

Petricoviae, 3.II.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de legatis ducis, Ioanne Rautherio et Assuero Brandt, a se exceptis, et
de responso eisdem oretenus dato.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 304.

N. 407.

Petricoviae, 3.II.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Alberto Iosephi, cive Posnaniensi, ut ei in lite cum Francisco Richter
citius iustitia administretur.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VI.
H B A, B 1, K. 304.

N. 408.

Petricoviae, 4.II.1548.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Ioanne a Werden, consule Gedanensi et capitaneo
Novensi.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 304.

N. 409.

Ilzae, 9.II.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de litteris ex Germania, in quibus nihil de negotio [sororum regis] fuit;
negotium Alberti Iunioris in Comitiis expediri non potuit.
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.
Illustrissime Princeps, Consanguinee Charissime.
Quod in literis ex Germania ad Illustritatem Vestram allatis nihil
illius negocii sit, de quo cum Illustritae Vestra coram diximus, probe

intelleximus. Neque vero satis intelligere possumus, quem Illustritas Vestra censet non esse repudiandum, quandoquidem non de uno, sed de multis loqui sumus. Atqui ita clarius eum describi cuperemus.

Illustrissimum Dominum Albertum Marchionem eo affectu studioque esse erga Sacram Maiestatem Regiam, Dominum parentem nostrum colendissimum, et erga nos totumque inclitum Regnum nostrum, pergratum nobis est. Sed negotium eius in Comiciis praeteritis curari non potuit, propterea quod et Comicia opinione citius soluta sunt, et nos ex Petrcovia discessimus, priusquam literae Illustratis Vestrae essent nobis redditae. Quod reliquum est, cupimus Illustratatem Vestram optime valere. Ex Illza, die nona mensis Februarii, anno Domini MDXLVIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

N. 410.

Sandomiriae, 16.II.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*legatum ducis Christophorum a Kreitzen, capitaneum Tapiensem, se
audivisse nuntiat et responsum per ipsum mittere.*

Sigill. V.

(Annexum: Responsum ad legationem ducis)

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Audivimus grato ac libenti animo Legatum Illustratis Vestrae, Nobilem et Generosum Christophorum a Kreitzen, Capitaneum Tapiensem, cui plenam adhibuimus fidem. Quid autem responderimus, ex ipso Illustratis Vestra plenius cognoscet. Quam bene et foeliciter valere optamus. Sandomirie, die 16 mensis Februarii, anno Domini MDXLVIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

Annexum:

Responsum Serenissimi Regis Iunioris Poloniae ad legationem Illustrissimi Domini Duci in Prussia per Generosum Christophorum a Crayczen, Sandomiriae, die 16 mensis Februarii, anno Domini 1548.

Sacra Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, gratum esse minime dubitat Illustrissimo Principi Domino in Prussia Duci, quod provincia Prussia Sacrae Maiestati Suae per Serenissimum Regem Dominum parentem suum colendissimum, quem Deus Omnipotens diutissime sanum et incolumem servet, foelicissime regnante, data sit. Proinde gratulationem hanc benigno accipit animo, omnem fortunam cum Illustritate illius dicens communem, sive prosperam, quam Deus concedat, sive adversam, quam idem procul avertat.

Quod vero Illustrissima Dominatio Sua abunde significaverit conatus Ordinis Theutonicorum Magistri, quas arces in Germania primum, deinde Pomeraniam, postremo Prussiam nostram bello petiturus sit, et quibus artibus tentetur vulgus Gedanensis ad deditioinem, quanquam in fide Magistratus nihil dubitandum sit, Sacra Maiestas Regia probe intelligere dignata est habetque Illustrissimo Domino Duci non vulgares gratias, quod de rebus istis ad totum inclitum Poloniae Regnum et ad se pertinentibus tam diligenter et mature scrutari et explorare minime gravetur. Pertinebit hoc ad communem omnium utilitatem, quandoquidem iacula eminus praevisa minus feriunt.

Et licet Sacra Maiestas Sua cum Serenissimo Rege Domino parente suo colendissimo totoque Senatu in Comitiis proximis Petrcoviensibus prolixe consultaverit constitueritque, qua ratione dominia Sacrarum Maiestatum Suarum ditionesque Illustritatis Suae ab hoste, si iam hostis putandus est, tuta esse possint, nullumque detrimentum caperent, nunc tamen capto ex re consilio cum Senatoribus suis, hic Sandomiriae lateri Suae Sacrae Maiestatis assidentibus, consulere et ad Serenissimum Regem Dominum parentem suum colendissimum referre dignata est, qui Praefecti militum esse debeant, quae praesidia et qui rationem tuendae urbis Gedanensis habituri sint, aliquot centuriis militum adiuti. Haec omnia Illustrissima Dominatio Sua haud mora cognoscet.

De Livoniensibus arcendis et de itineribus intercludendis, ne quam impressionem per Magnum Ducatum Lithuaniae et Samogithiam facerent, id Sacra Maiestas Sua mox ad Magnum Ducatum Lithuaniae foeliciter perveniens, ad quem proficiscitur, habito consilio cum Senatu suo providebit, ut Prussia a Livoniensibus, maxime vero per ditiones Maiestatis Suae, tuta securaque esse possit. Qua de re brevi diffusius Illustritatem Suam reddet certiorem, et quam maxime potuerit curabit, ne exploratores illac commeare possent.

De nunciis exploratoribusque hostium in Monte Regio detinendis id demum nulli commodius, quam Illustrissimae Dominationi Suae evenire potest. Nam si Maiestas Regia illic ea de causa custodiam teneret,^{a)} facile res prodiret in vulgus et ab exploratoribus devitaretur. Sed relaturam se Maiestas Sua recepit ad Serenissimum Regem Dominum parentem suum, itidem et Illustrissima Dominatio Sua scribere potest, ut Serenissima paterna Maiestas per literas suas potestatem faciat Illustrissimae Dominationi Suae huiuscemodi homines, tempore isto praesertim suspecto, detinendi. Certo sibi pollicetur Sacra Maiestas Sua de singulari prudentia et dexteritate Illustrissimae Dominationis Suae, quod nullum hominem suspicione carentem detinebit, unde odium et invidia amicorum conciliari possit.

In summa Sacra Maiestas Regia, imperii paterni minime cupida, id quod Deo et hominibus manifestissimum est, non alia magis de causa rationes defendendi totius Regni suscipere dignata est, quam ut Illustritati Suae, consanguineo suo charissimo, nullam vim et iniuriam inferri permitteret, et ne etiam suis deesse videretur. Superest, ut vicissim Illustritas Sua consilio et auxilio, omnibus denique viribus Sacram Maiestatem Suam adiuvet. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Id quod de Illustritate eius minime dubitat. Sperat Sacra Maiestas Sua, quod hostis contra religionem suam christiani sanguinis sitibundus, voti sui non erit compos, Deo Optimo Maximo iusticiam nostram adiuvante.

a) in ms. tenerat.

N. 411.

Ticocinii, 29.II.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro Stanislao Niszczycki, castellano Raciezinensi, ut profugi "cmethones"
ei restituantur.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

(Adiungitur elenches nominum profugorum)

H B A, B 1, K. 304.

N. 412.

Cracoviae, 14.III.1548.

Sigismundus I rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*relationem Stanislai Laski Augusta scriptam mittit de statu legationis
suae.*

Sigill. I.

*(Annexum: Exemplar relationis Stanislai Laski de successibus legationis
suae hucusque obtentis.)*

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus etc.

Illustris Princeps et Domine, Nepos noster Charissime.

Facta sunt iam a nobis omnia, quae nos facturos Illustritati Vestrae receperamus. Nam ad Capitaneos literas dedimus, atque ut in procinctu essent, mandavimus. Restium etiam binas literas misimus, ita ut si quid Magister ille conatus fuerit, Deo freti conatum eius facile refutare possemus. Comitia etiam ad dominicam Conductus Paschae Marieburgi ediximus, ubi si quod praeterea salubre consilium nobis fuerit suppeditatum, libenter id amplectemur atque executioni mandari curabimus. Interea vero mittimus Illustritati Vestrae quae scripsit ad nos Orator noster Augusta, simul etiam responsum istius Magistri ad ea, quae per Oratorem nostrum dicta sunt. Quam bono esse animo, et nihilominus quod facit ipsa proculdubio vigilare volumus. Illustritatem Vestram diutissime foelicem et incolumem esse cupimus. Cracoviae, XIIIII Martii, anno Domini MDXLVIII, Regni nostri XLII.

a) Ex commissione Maiestatis Regiae propria
Samuel Episcopus Cracoviensis
et Regni Poloniae Cancellarius subscrapsit.^{b)}

a)-b) manu Samuelis Maciejowski.

Annexum:

Serenissime Rex et Domine Clementissime.

Quamvis privatim, Dei gratia, ab omnibus hic amer, quam ab initio fui, et publice a Caesare, Rege et Electoribus honestissime habear, ac

nullum sollicitacionis genus praetermisserim ad ea impetranda, si fieri posset otius, quae petimus, tamen nec precibus nec persuasionibus ullis responsum extorquere possum. Causam autem huius molestiae morae hanc esse sentio: hinc Caesaris miram in omnibus foelicitatem, illinc rumores ingratos, qui de nobis quasi ex composito sparguntur, et Illustris Domini Ducis Prussiae suspicionem. Mirum ut non sit, si contemnamur.

Papa namque, amputata per Cardinalem Tridentinum¹⁾ Concilii spe, mox proditione Placentiam temptavit, sed non successit dolus. Authores capti a Caesarianis. Rursum Marchio quidem Masse²⁾ pontem Nemoli adorsus, pari infoelicitate in manus Caesarianorum venit, iam forte vita exutus est. Iterum Comes a Fristio³⁾ Genuam invasit, sed frustra ammissis multis ipse saucius egre perfugit. Haec Caesarem, quamvis bene cesserunt, concitarunt, ut Oratorem Monthlycum, qui apud Vestram Maiestatem erat, capi faceret atque tres alias insignes et strenuos Galli Praefectos et militum Duces, Fogelspergerum et Thomam ab Helpym et alium quendam. Qui tres, ut primum Augustam portati sunt dirisque questionibus excruciat, in foro sunt securi percussi. Hoc spectaculo omnium animos video exterritos. Neque enim satis fuit eos fuisse truncatos, verum actessit praeterea solenne per tortorem aedictum: si forte quis cuiuscunq; status Gallo favisse scietur, eo supplicii genere puniendus veniat.

Haec res etsi omnibus nova et miranda sit visa, tamen militem imprimis admodum concitavit, adeo ut sedicionis mihi aliqua sit suspicio. Et praesertim boni saenis⁴⁾ Palatini Frederici nomen notatum extitit. Cum enim in locum et suggestum adduceretur, Fogelspergerus multa sine metu, ne Caesarem invectus, subiunxit. Quod, inquit, probum Principem Fredericum Palatinum attinet, falso et impie accusatur, quasi quid cum Gallo commune habeat, id quod ex me questionibus ac tormentis questum fuit. Ecte nunc, inquit, vita mea eius innocentiam tueor, neque ab alveo morior, nisi quod multis annis nobili Coronae Galliae fideliter et honeste servierim. Hanc ideo ad verbum recito rem, ut Vestra Maiestas intelligat, quo in metu periculoque versentur multi.

Armis suspicionibusque plena est Germania. Urbes praesidiis a iurato milite tenentur cautumque est omnium consensu, ut prorsus nemo Germanus extra Germaniam cuipiam serviat praeter Caesarem, sub vitae facultatumque iactura. Et licet eiusmodi violentiae leges non facile servantur, tamen non solum propter Papam vel Gallum hanc legem latam censeo. Prussiae, Pomeraniae, Daniae obstat, video. Quod si igitur mea hic forsitan mora audiendo absentibus molesta est, an non decuplo mihi praesenti ferendo molestior sit, cognoscere facile quoque est, et periculo et precio summo vivitur, ut antea quoque scripsi. Auget autem molestiam adhuc, quoniam Caesarem articularis denuo morbus invasit, ut cogitet mox a carnisprivio tota Quadragesima gwaiacho pro more purgari. Hoc si erit, negotia omnia excludentur. Utcunque vero sit, Italiae et Galliae verum eventum expectat, ut aestimo. Nam res adhuc sunt in tractatibus, quo demum ex illarum ibi successu nostra hic absolvat.

Alioquin sat superque temporis ad respondendum fuit, si animum habuisset. Quamvis cum Papa Concilium Bononia Tridentum denuo transferri nisi intollerabilibus quibusdam conditionibus nolit, tamen audita Caesaris in ea re protestacione, quam per Oratorem in Consistorio habuit solennem, videtur velle dare nescio quid coloratae spei

Caesari. Interea Augustae hic Philippi Hessii libertas serio equidem, sed frustra per Brandenburgensem et Marien.²⁾ Electores curata fuit. Cuius etiam uxor propterea venit, Vestrae Maiestatis ex sorore filia, Georgii Misniae olim nata. Non minus et Frederici Saxonis per Iuliacensem, qui eius gratia huc quoque venit, procuratur. Verum Caesar ad ea ne verbum quidem.

Pomeranam autem causam scripto hoc commendavi et verbis usus sum honorificis. Sed respondetur nihil. Neque vero solum me talem Vestra Maiestas existimet esse, cui nihil respondeatur. Sunt hic Galliae, Angliae, Daniae Regum Oratores et Pontificis aliorumque plerique, quibus aequo nihil respondetur atque mihi. Tamen Dei gratia fit sepenumero, ut mei, qui a me mittuntur, audiantur et admittantur eo, ubi aliorum Regum ipsimet Oratores excluduntur. Ita quod si aliud hinc non retulerio, hoc certe Dei gratia referam me Vestrae Maiestatis dignitatem non praetermississe aut neglexisse. Sed de hiis aliorum erit iuditium et memoria.

Utcunque autem privatum magno amore habear, video moram meam longe diuturniore fore, quam vel optabam vel putabam. Quae cum sit rebus plerumque omnibus nociva, ne nostrae causae quidem salutarem constituo eam dici posse. Suplex igitur Vestram Maiestatem hortor, ut sic praesenti pace utatur, quasi ex ea brevi nasciturum bellum (nisi Deus avertat, videat) belli socios amicosque querat. Et nos suos ab otio ad negotia disciplinamque asuescat. Manet enim prorsus undique nos bellandi propediem inevitabilis necessitas, quam fugimus; ut infideles vicinos taceam, certe vel hoc repetendae Prussiae contencio est, si bene iudico, immortalis facile minima occasione in caedes proruptura. Nam si ego hinc, non constitutis nunc utcunque rebus, absolvam, in cassum deinceps petemus vel Legatos petitum alios mittemus. Pax firma nulla speranda erit.

Quo autem pacto Magister se Vestrae Maiestatis legationi opposuerit, his annexe ostendunt.³⁾ Licet enim non sint adhuc Senatus consulto datae, saltem per amicos clam communicatae. Multa inique, falso etiam multa de Vestra Maiestate meque scribit. Cuius gratia Regem conveni, convenientiam et Caesarem. Quid id sit scriptorum, queram, quae circumferuntur vulgo. Consilia ab eis poscam. Quid amplius faciendum, adeo quid sperandum expectandumque mihi dicant. Cuius colloqui summam brevem Vestrae Maiestati mitto. Et interea paratam habebo responsionem, Dei gratia satis modestam et honestam. Inde Vestra Maiestas excuso suo ingenio cognoscit, quid hic agam, quid feram, quid audiam, et quod nihil preter expectacionem meam actidat mihi, quam praedixi Piothrcoviae, cum mutari instructionem postulassem, fore, ut si dixerimus quae velimus, audiamus vicissim quae nolimus. Sed ea cum ibi tum mutata non erant, ego ea hic quoque mutare nolui, quanquam in multis mitigaverim. Satis est, si mihi per Caesarem publice dabitur adversarii scriptum. Confido Dei gratiae eum bonum responsum habiturum. Non tamen uti apud iudices, sed uti apud amicos dicetur.

Coeterum, cum talia multo mihi tempore hic expectanda ita tractandaque sint, humiliter Vestrae Maiestati supplico, ut me clementer informet, quam diu hic mihi expectandum sit et unde porro provisio mea petenda. Iam namque duo millia talerorum a Dominis Fucaris accipere sum coactus, super id, quod mihi a Vestra Maiestate fuit consignatum. Invitus autem haec feci. Si enim haberem, aeri meo non parcerem, quemadmodum neque saluti neque laboribus parco. Quippe qui me vi-

tam ipsam patriae et Maiestati Vestrae debere agnosco, quo pacto sumptus negarem. Sed quae quantaque sit rerum mearum angustia, Vestra Maiestas abunde novit. Neque vero ex illis sum, qui velim Vestram Maiestatem, Dominum meum, inanibus impensis et non necessariis gravare sumptibus. Sed tamen ne quid cum dedecore Vestrae Maiestatis fiat, caveo caveboque sedulo. Neque id solus ego curo. Carent et illi mecum amici, quos ad me honestandum Oratorem mecum actepi. Ita ut nisi nos indubitata spes teneret Vestrae Maiestatis clementiae, mora hec non modo molesta, sed et intollerabilis esset.

a) *hoc scriptum deest.*

z) *sic in ms.*

1) *Madruzzo Christophorus.*

2) *Iulius Cybo.*

3) *recte: Fiesco.*

N. 413.

Vilnae, 16.III.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de cinere detento conqueritur.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 304.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Domine, Consanguinee noster Charissime
Delatum est ad nos cives et subditos Illustritatis Vestrae Regiomontanos, nescitur quo consilio actos, nobis cinerem nostrum, qui Gedanum versus demitti debebat, ac etiam hucusque non absque magno detimento detinere, recensentes eum cinerem quodammodo sui aequivalentia, quam par est, inferiorem esse. Cum ob aliquam suspicionem seu errorem devitandum universi cineres in Camera nostra Kownensi probari semper soleant, ita ut non putemus opere precium esse, quo rursus in civitate Illustritatis Vestrae Monteregio probentur, quod si cives illi ius aliquod se habere affirmarent, non patiatur Illustritas Vestra res nostras illi iuri subesse. Nam quicquid preterea huiusmodi mercium aliquando mitti solet, id totum signo nostro notatur, ita ut nemini liceat quicquam fraudis admittere.

Proinde postulamus, ut Vestra Illustritas hiis suis civibus ac subditis Regiomontanis mandare velit, ne hunc nostrum cinerem longius detineant, imo quo et hunc et reliquum posthac mercatum nostrum semper libere Gedanum defluitare permittant. Rem nobis factura admodum gratam, simili deinceps officii exhibitione referendam. Quae bene ac foeliciter valeat. Datum Vilne, XVI^a mensis Martii, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}*

^{a)-b)} *manu propria.*

Cracoviae, 27.III.1548.

*Bona regina Poloniae**Alberto in Prussia duci**mittit exemplum litterarum a Stanislaō Łaski ad regem [Sigismundum I] scriptarum.**Sigill. X.**(Annexum: Litterae Stanislai Łaski ad regem)**H B A, B 1, K. 304.*

Illustris Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem plurimam et foelices a Domino Deo ad vota sucessus.

Magnificus Stanislaus Laski, Palatinus Siradiensis, hodie nobis per servitorem proprium significavit ex Augusta, mensis praesentis Marcii tredecima scribens, fuisse iam expeditum a Cesarea Maiestate. Que efficere, inquit, dignata est, quod ratione Ducatus Prussiae certam hoc anno pacem habituri sumus. Fecitque id Cesarea Maiestas propter Regiam Maiestatem seniorem, quem amat et sicut maiorem natu veneratur. Et quia Sua Maiestate vivente et dominia sua gubernante cuncte res prospere cedunt, Illustritas Vestra Dominum Deum nobiscum merito rogare tenetur, ut illius divina Maiestas Serenissimum Dominum et coniugem nostrum colendissimum diutissime incolumem conservaret. Hoc eodem tempore, quo a predicto Magnifico Lasky legimus litteras, Illustratati Vestre scribere iussimus, non dubitantes ea illi gratissima fore. Quam bene et foeliciter valere cupimus. Datum Cracovie, die XXVII Marcii, anno Domini MDXLVIII.

a) *Bona Regina subscripsit.*^{b)}a)-b) *manu propria.**Schedula:*

Mittimus Illustratati Vestrae copiam litterarum, quas Palatinus Siradiensis misit Maiestati Regiae.

Annexum:

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Bellum ego tandem, Dei gratia, a nobis hoc tempore transtuli, pacemque causam hanc Prussiae in longum extraxi, ut honestius commodiusque potui sub tam infecta, non dicam infoelici, rerum omnium mutatione ac turbine. Ita denique legationem absolvvi, quod amicis placet maxime, hostibus quam minime, neque nunc certe potuit foelicius. Hoc igitur Vestrae Maiestati paucis indicare volui, ne Vestra Maiestas, optimus sapientissimusque Rex, in eo venerando senio curis amplius, sollicitudinibus sumptibusque inanibus usque ad meum adventum gravetur. Annus nanque praesens, forsitan et plures, si occasionem bene gerenda rei observaverimus, pace nobis Dei beneficio transigetur. Sed de his coram. Interim me Vestrae Maiestati Clementissimae totus tradō ac devoveo. Augustae,^{a)} 1548.

Vestrae Maiestatis humilis
Lasky subscripsit

a) *spatum album.*

Vilnae, 6.IV.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat, ut dux tormentorum bellicorum magistros per Prussiam et
Livoniam in Moscoviam se conferentes detineat.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Certiores facti sumus hominem quendam Ioannem Gaisler colle-
gisse circiter decem tormentorum bellicorum magistros, seu pixidarios,
statusseque una cum eis per Prussiam et Livoniam ad Moscoviam pro-
ficiisci. Quae res processu temporis non parvo incommodo nobis et
dominiis nostris fieri posset. Itaque hortamur Illustritatem Vestram
plurimum cupientes, ut pro suo erga nos officio homines huiusmodi,
ne per Prussiam penetrarent, diligentissime observari et detineri faciat,
nosque per literas suas reddit certiores. Rem nobis factura pernecessa-
riam et vehementer gratam. Bene ac foeliciter valeat. Datum Vilnae, die
VI mensis Aprilis, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}*

^{a)-b)} *manu propria.*

Vilnae, 9.IV.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
obitum patris sui [Sigismundi I] nuntiat.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Heri nobis nunciatum est Serenissimum Regem Dominum parentem
nostrum colendissimum die sacro Paschae vita functum esse. Quae res
quam acerbum vulnus animo nostro inflixerit, verbis explicare non pos-
sumus, partim quod illius Sacrae Maiestati non solum affectum, stu-
dium et observantiam, verum etiam vitam ipsam debeamus, partim
quod ea mors optimi parentis in hac temporum iniquitate accidit. Merito
igitur nullum modum neque finem lugendi facere possumus, nihil dubi-
tantes, quin casus iste non vulgarem Illustritati Vestrae etiam adferat
dolorem. Sublatus est enim nobis Princeps, in quo omnes virtutes sitae
fuerant et in quo natura posuerat quicquid ubique habuerat, ita ut
omnium christianorum Principum exemplum et pater patriae dici esse-
que meruerit. Deus Omnipotens dignetur animam eius aeterna et placida

requie donare. Superest, ut Illustritas Vestra communem nobiscum hunc luctum ferens, consilio et auxilio dignitati rebusque nostris, ubi opus fuerit, adsit. Quod ut faciat, cupimus plurimum. Et bene ac foeliciter valeat. Datum Vilnae, die IX mensis Aprilis, anno Domini MDXLVIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

a-b) manu propria.

N. 417.

Vilnae, 16.IV.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

accusationes et suspiciones contra novam sponsam suam [Barbaram Radziwill] refutat eamque defendit.

Sigill. V.

HBA, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Domine, Affinis noster Charissime, salutem et mutui nostri amoris totiusque felicitatis perpetuum incrementum.

Quae nobis Illustritas Vestra de scriptis ad se ante Natalis Christi ferias ab Illustribus Dominis Marchionibus Brandenburgensibus litteris, et quomodo ad eas Illustritas Vestra responderit, significavit, legimus. Quodque artificem telorum illorum, iam dudum in nos per alia instrumenta missorum et iactorum, ex hac nova Illustritatis Vestrae incude cognovimus, mirati sumus vehementer ea ad nos scribi, quod eo pertinaciae aut temeritatis Duces prudentissimi perveniant, ut ex invidia atque labore conflato rumori usque adeo fidem adhibeant, qua eciam in famam et virtutem alicuius insolencius debachentur. Intelligere enim atque cognitum habere debebant, quam fuerit turpe et indecorum non ora Principum sapientum tantum, verum eciam et labra futilium scurrorum res incertas pro veris in vulgus spargere. Nos eos non tam frivulos esse putavimus, quod Illustritatem Vestram de tam mordacibus fabulis eo usque lacesserint, ut etiam nostrae auctoritatis nullam habuerint rationem.

Qui si eo pertinaciae devenerant, non usum fuisse ullum Illustritati Vestrae, ut nos apud eos de rebus incognitis excusaret, aut ulla ad eos eiusmodi daret litteras, quibus sibi aliquam conciliasset suspicionem. Quod autem denuo sibi scribi Illustritas Vestra ab eisdem atque illos illud gravato a se accipere animo dicit, quod scilicet in aula Caesareae Maiestatis aliter, quam ex eius litteris de matrimonio hoc nostro intellexerint, quodque eo nuncio fuerint vehementer perterriti, non intelligimus, cur illud eis incuciat ruborem aut metum, cum non Reges tantum aut Principes, sed et quivis alii ex Dei ordinacione suoque arbitrio uxores ducant omnes, ac illae non aliunde quam a Deo, iuxta illud sapientissimi Regis et prophetae, concedantur hominibus.

Quod vero nos subditae nostrae animum nostrum adiunixerimus, eamque in matrimonium duximus, fecimus non ex incertis causis et rationibus, fecimus autem non cecitate ulla seducti, ut Illustritas Vestra

scribit, sed solo virtutis, probitatis integritatisque et pudiciciae amore ducti, ac illo quidem honesto. Quidquid vero ea in re constitutum est, et sciente olim Regia paterna Maiestate, Domino parente nostro desideratissimo, et non sine maturo deliberatoque omnium Regni nostri Senatorum consilio. Quae res cum non fuerit nova, non fuerit furtiva et nec clancularia, scripsimus de ea ad multos in aula Caesareae Maiestatis amicos, quin et per Oratores nostros, quos illic habuimus, denunciari fecimus. Non turpe nobis et neque dedecorum putantes fore, si id, quod olim multis christianis Principibus, quod atavis et antecessoribus nostris licuit eosque decuit, nos quoque adorti essemus. Subditam quidem esse fatemur, non tamen propterea infamem, cum et ex vetustissimorum nobilium oriunda est stemmate, et tantum semper virtute et integritate claruit, ut etiam multis aliis ex prosapia Regum aut Principum matronis moribus, probitate et modestia par sit.

Quod incantationem eam et nescimus quam veneficam unacum matre rem clamitat, id omnino ut novum est, ita a vero longe alienissimum. Paruit hoc illi nomen istorum malevolentia et invidia, qui cum nobis honori esse debebant et honestati, deturpare nostrum conantur thorum, itaque obfuscare satagunt, ut etiam illam publico crimine contumeliose notare cupiant. De aliis nobis mirum non est. De Illustritate autem Vestra monstri vel portento pocius simile esse videtur omnino, quae cum non videat neque certo habeat comperta illius archana, confirmare etiam audeat vulgi ac livoris, quae semper vana et falsa esse solet, opinionem. Nos cum alterius, quam Illustritas Vestra edocta est, coniugis nostrae charissimae virtutis fuerimus testis, duximus eam iam antehac in matrimonium. Quod cum sanctissime colendum tuendumque et observandum Paulus hortetur, Illustritas Vestra iis, qui ad eam scripserunt Ducibus, certo respondere potest: non iam nos perduci posse, ut illi libellum divorcii dare cupiamus. Sed cum ita Christo, Servatori nostro, visum est, eam semper pro nostra charissima et honestissima sponsa omni matrimonii officio omnique coniugali amore amplecti colereque et venerari.

Id cum scripserit, non erit cur amplius ab illis mendacii Illustritas Vestra insimuletur. Tum eciam liberabit sese omni suspicione apud Caesaream Maiestatem, quam cum et nec alias Principes, nostrum matrimonium offendere debet et non potest, tum et neque Illustritati Vestræ ullam apud eam conciliare poterit offensionem. Quod autem ita scribimus Illustrati Vestræ, fecimus tuendæ famae nostræ et auctoritatis gratia, quam si quis porro mordicus carpere pergit aut ledere instituit, tueri eam vicissim confidenter convenit et decet. Dabit itaque veniam nobis Illustritas Vestra, si quid vehemens a nobis in eos est dictum aut scriptum, qui nullam nostræ Maiestatis et nominis habuerunt rationem. Christo commendamus Illustratæ Vestræ, quam et diutissime et felicissime valere cupimus. Datum Vilnae, die 16 Aprilis, anno Domini MDXLVIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

Cracoviae, 17.IV.1548.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de negotio Stanislai Łaski cum imperatore [Carolo V] in rebus Prussiae;
ducem ad sepulturam regis [Sigismundi I] cohonestandam invitat.
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 305.*

Illustris Princeps, Domine, Affinis noster Charissime, salutem plurimam et omnia a Domino Deo saluberrima.

Scripsit nobis Illustritas Vestra, postulans sibi describi et significari, quid tandem ex Magnifico Palatino Siradiensi in reditu a Cesarea Maiestate cognoverimus. Id illum nobis retulisse sciat Cesaream Maiestatem pacem hoc anno ratione Ducatus Prussiae servaturam. Cupere tamen locum, tempus, homines a Sua Maiestate designari, ubi probaciones fierent et ipsa negocia tam ex voluntate Cesaree quam Regie Maiestatis tractarentur, commonstrarique poterit, quibus modis, viis et conditionibus iustis Illustritas Vestra Ducatum Prussiae obtinuerit. Cupiens etiam et rationes deduci, cur Maiestas Cesarea bannum, quod ad postulationem Regiae olim Maiestatis prorogabatur et sublevabatur, tollere debuerit. Quas cum dignas cognoverit, pollicebatur Cesarea Maiestas omnia facturam ad arbitrium Regiae Maiestatis, Domini et coniugis olim nostri colendissimi. Sed Magnificus Palatinus Siradiensis, qui hinc recta celeribus itineribus in Lituanię ad Regiam Maiestatem profectus est, si illi scripserit vel ad eum Illustritas Vestra miserit, lacius et expressius ea omnia Illustrati Vestrae significare, et cuius animi, quante observanciae Maiestas Cesarea fuit erga Serenissimum olim Dominum et coniugem nostrum, declarare poterit.

Preterea facile credimus, quod Serenissimus filius noster Illustratalem Vestram, utpote suum fratrem, invitavit ad honorem sepulturae extremumque servicium exhibendum Regiae olim Maiestati. Optamus, Illustratas Vestra venire non recuset, ut suam debitam observanciam, qua Regiam Maiestatem, Dominum et avunculum suum, in vita colebat, etiam post mortem testatam faciat et defuncto honorem exhibeat, simul etiam ineat consilium cum Regia Maiestate et cum Consiliariis huius Regni de rebus suis. Quas foelices fieri et Illustratam Vestram bene sanam reddi una cum chara illius filia a Domino Deo optamus. De nobis autem nullum dubium habeat Illustratas Vestra, sincerum, benevolum et faventem animum nostrum semper experietur. Cracoviae, die XVII Aprilis, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} Bona Regina subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

pro consolationibus ob mortem patris [Sigismundi I] gratias agit; protestationes ducis contra matrimonium suum [cum Barbara Radziwiłł] vehementer refutat.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee noster Charissime.

Redditae sunt nobis sub uno et eodem tempore binae Illustritatis Vestrae literae, quarum utrisque hunc lugubrem et calamitosum Sere-nissimi Domini parentis nostri mortis casum se acerbe dolere, nosque pariter ad eum aequo animo perferendum non minus prudenter quam diligenter cohortari dignata est. Quo quidem nomine illi haud mediocres habemus gratias. Quamvis autem tanta nobis inde oborta sit doloris magnitudo, ut nulla unquam maior oboriri potuerit, tamen cum hanc fati sortem omnibus ex aequo communem esse cernamus, neque dissimiliori naturae cursu nativitatem atque obitum contingere animadver-tamus, nihil amplius restare videtur, quam ut divina imploretur clementia, quo eius Maiestatis animam in beatorum spirituum ordinibus collocatam esse velit.

Quod autem Illustritas Vestra a nobis postulat, ut hanc institutam, imo iam transactam consilii nostri rationem vel saltem in tempus longius protrahamus, verendum esse subiungens, ne inde, nisi sese conti-nuerimus, subditorum mentes in varias et minus dignas affectum excan-descentias prorumpant, quos quamobrem id (quippe coniugium nostrum, quod iam firmatum ac in universum transactum et constabiliitum est) offendere debeat, causam certe iustum repperire non possumus. Cum id nostrum recens factum non tam novi exempli documentum ediderit, quam multorum Principum ac etiam maiorum nostrorum, qui similibus quoque uxoribus nubebant, imitationem expresserit. Tum praeterea pa-rum quoque ad uniuscuiusque Regni bene gerendi administrationem du-cendae coniugis delectum pertinere arbitramur. Cum hanc extra quamvis Reipublicae functionem esse conveniat, et Reipublicae amplitudo in sola potissimum legum conservatione, communis tranquillitatis defendenda sollicitudine libertatisque propagatione consistere videatur. Miramur ita-que, quod cum exinde in omnem partem periculi nihil inesse constet, et Vestram Illustritatem hoc negocio quodammodo permoveri, veremurque, ne fortasse ex hiis fontibus, quos suspicamur et quorum superioribus nostris literis mentionem fecimus, haec profecta esse censeantur.

Quare postulamus, ne amplius quidquam haec res, quae non nisi extremo fati casu dissolvi potest, Vestram Illustritatem permoveat. Ve-rum potius pro sua erga nos observantia et pro hac, quae nobis cum illa intercedit, affinitate apud hos, quibus, ut sunt hominum mores, etiam optima quaevis arrodere dulce est, hoc nostrum factum iustis et aequis rationibus circumquaque esse nixum persuadere ac declarare dignetur. Quam bene et foeliciter valere cupimus. Datum Vilnae, XXVII mensis Aprilis, anno Domini MDXLVIII.

a) *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.* b)

a)-b) *manu propria.*

Cracoviae, 27.IV.1548.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
de morte regis coniugis sui [Sigismundi I].*

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 305.

Bona etc.

Illustrissime Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem et felicitatem.

Accepimus litteras Vestre Illustritatis, quibus nobis scribit audisse se aliunde, et non a cubiculario nostro, mortuam esse Sacram Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum et coniugem nostrum honorandissimum, ob idque magno dolore affectam se esse. Idque eo magis, quod morte hac Sue Maiestatis pleraque ingentia pericula Illustritas Vestra prospiciat, et subinde se ipsam et nos una in communi dolore consolatur, cum aliis plurimis a necessitate ac a lege nature profectis rationibus, tum etiam verbo Dei et certa fiducia future ad vitam immortalem resurectionis. Nos quidem, Illustrissime Princeps, idcirco nichil ea de re Illustrati Vestre scripsimus per cubicularium nostrum, quia tunc Maiestatem Suam vivam adhuc habuimus et spes bona signaque omnia ad salutem fuerunt. Nunc, posteaquam Maiestas Sua vivendi finem fecit, annunctiamus Illustrati Vestre tristem hunc et iam ei auditum nunctium acerbumque dolorem nostrum, quo nos omnes Dominus Deus visitare et contristari voluit.

Ita est, ut scribit Illustritas Vestra. Mortuus est nobis Serenissimus Rex Poloniae, coniux et Dominus noster honorandissimus, die dominico Pasce, post horam XII. Nos quidem pro amore officioque bone ac fidelissime uxoris, quemadmodum antea semper, Maiestati illius in bona sua valetudine diligenter ac fideliter servivimus, ita etiamnum in affecta et senili etate et in longis gravissimisque egritudinibus eius, ad extremum usque vite eius Maiestatis diem nichil, quod ad conservandam eius Maiestatis salutem pertinebat, pretermisimus. Verum etate ac morbo vim nature superante, neque diligentia nostra nec opera medicorum profici quidquam potuit, quominus eius Maiestas diem suum obiret. Tulit autem eius Maiestas et egritudinem suam et mortem ipsam ea fortitudine et pacientia, qua ceteras molestias et quaeque incomoda ferre consueverat.

Et prius quam ad extrema perveniret, integris sensibus, sano ac vegeto mentis intellectu, ut pium et catholicum, ut religiosum decebat Principem, confessionem absolvit, passionem dominicam cum lachrimis audivit, Eucharisticie sacramentum reverenter^{a)} ac religiosissime suscepit, permisit se ungi, oravit et inter pias lachrimas actusque salutares animam suam Domino Deo commendans, ita domui suae disposuit, ita se ad exitum preparavit, sic saluti sue consuluit, ut mori quam vivere malle videretur et exemplum tum subditis, tum Principibus relinquaret bene moriendo. Et cum eius quidem Maiestate preclare actum esse videmus, qui et omnibus vite incommodis exemptus est et letus e vita migravit. Nobiscum autem longe incommodius actum est, nam ex morte eius Maiestatis ingens ad nos luctus, ingens meror et orphanitas pervenit. Ami-

simus enim nos Dominum et coniugem amantissimum, amiserunt Serenissimi liberi nostri patrem ac benefactorem pientissimum, amisit Regnum nostrum Regem bonum, clementem ac mansuetum Dominum, vel patrem potius ac liberatorem suum, amisit Respublica Christiana religionis pacisque sue propugnatorem. Amisit etiam Illustritas Vestra avunculum et patronum erga se propensissimum, qui et amabat illam sincere et de pace illi paranda Prussiaque tranquille possidenda sollicitus admonendum erat.

In cuius etiam gratiam cum alii Principes, etiam ethnici, tum precepit Sacra Cesarea Catholica Maiestas propter eius fidem, constantiam et ceteras regias virtutes, pace bona usi sunt nobiscum commodissime. Sumus itaque nunc in assiduo gemitu et lacrimis, sumus in tanto luctu ac dolore, cui consolatio nulla, nulla medicina mederi posse videtur. Geimus orbitatem cum nostram, tum ceterorum liberorum nostrorum, que in hec turbulenta ac difficilia tempora incidit, quibus graviora adhuc instare videntur.

Tristia sunt, que scribimus, et nonnisi acerbo maerore prosequenda, atque adeo tristia, ut nec nos ea sine lachrimis scribere, nec Illustritas Vestra sine gravi dolore vel legere vel audire queat. Itaque in hiis periculis, que nobis Regnoque et Illustratati Vestre imminere videntur, tanto nobis mors Serenissimi Regis ac patris omnium nostrum acerbior est, quanto magis nos et Serenissimi liberi nostri in viduitate et orphanitate nostra, tum etiam Illustritas Vestra, eius presentia, eius ope, eius tutela indigere videmur.

Hunc ergo tam gravem casum acerbumque dolorem nostrum significare Illustratati Vestre voluimus, ut una nobiscum doleat Illustritas Vestra et optimo Principi avunculoque suo benemerenti iusta persolvistic curet receptumque illi in coetum beatorum prectetur.

Ceterum pro isto tam amico adhibe nobis consolationis officio agimus habemusque Illustratati Vestre gratias. Et licet ea consolatione Illustratatis Vestre utamur aliasque consolations, a sapientissimis hominibus et ex verbo Dei traditas, dolori nostro adhibeamus, mitigari tamen dolor noster nequit. Ademptus enim nobis est Dominus et coniux amantissimus, cuius consuetudo quo nobis iucundior fuit et suavior, hoc maiorem luctum et merorem ex eo percipimus, quod eo orbate sumus, qui fuit animae nostre dimidium, quo post Deum nihil charius in vita habuimus. Sub cuius etiam umbra tuni salvique omnes fuimus. Eius felicitate atque prudentia et Dei in primis benignitate recte nobis omnia procedebant. Nunc eo sublati, qui sit tum Regni, tum omnium nostrum status futurus, non possumus de eo non plurimum contristari. Sed in eo tamen luctu ac maerore nostro non parvam ex eo levationem capimus, quod eum non minus sancte quam vixerat mortuum esse vidimus. Nichil enim a Maiestate eius pretermissum fuit, quod a vere christiano Rege factum oportuerit.

Agimus etiam Illustratati Vestre summas gratias pro ea animi fideique erga nos sue oblatione, quam per litteras suas declarat nobis ac pollicetur. De amore officioque in nos et Serenissimos liberos nostros Vestre Illustratatis nichil sane dubitamus. Credimus enim, quod Illustritas Vestra, uti gratis nepos, et defunctum Dominum grata recordatione prosequetur, et memor eius beneficiorum nos quoque et Serenissimum filium nostrum Regem et filias nostras in hac orphanitate nostra amore et benevolentia sua prosequetur, nobisque et Regno diligenti opera salutibusque consiliis non est defutura. Quod ut facere velit, enixe ab ea

petimus. Referemus id ei benevolentia, gratificatione et omnibus amicis officiis nostris. De sepultura vero et aliis negotiis, tam publicis quam privatis, nos cum Dominis Consiliariis, qui hic presentes sunt, missa nuntio ad Serenissimum filium nostrum Regem retulimus. Expectamus Maiestatis Sue adventum et certam de rebus, que facto opus sunt, constitutionem. Credimus, quod Maiestas Sua Vestram Illustritatem cum de ceteris negotiis, tum de die sepulture certiore faciet. Ad quam cum vocata erit, venire ad coherendam presentia sua funus avunculi sui benemerentis non gravetur. Interim nos Illustrati Vestre omnia fausta ex animo precamur, et valere illam felicissime amarique ab illa optamus. Cracovie, XXVII Aprilis, MDXLVIII.

a) *in ms. reverentur.*

N. 421.

Szereszów, 8.V.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

ad ternas ducis literas respondeat: de nimia consiliariorum Prussiae securitate, de pensione ex thesauro Regni duci solvenda, de negotio Ioannis a Werden.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Ternae nobis Illustritatis Vestrae redditiae sunt literae, quarum primis improbat nimiam securitatem consiliariorum provinciae nostrae Prussiae, perinde atque firma pax et diu duratura esset. Quod et nobis est permolestum, nam hac in re nihil melius est vigilantia et providentia, tanquam si omni die hosti obviam eundum esset. Mox igitur confecto hoc itinere, Cracoviam venientes, Senatorum nostrorum percontatis sententiis, providebimus, ne quid periculi relictum esse videatur, quod Reipublicae nostrae detrimentum adferre posset. Et quicquid statuerimus, reddemus Illustritatem Vestram certiore.

Secundis literis cupit Illustritas Vestra pensionem de thesauro nostro sibi numerari. Qua de re in hoc itinere nostro nescimus quid respondeamus, quin eam pensionem non satis exploratam habeamus. Sed ubi Cracoviam foeliciter attigerimus, habito sermone cum Thesaurario Regni nostri, sine mora Illustritati Vestrae respondebimus.

Negotium Generosi Ioannis de Verden (de quo Illustritas Vestra tertii literis scribit) luctu et merore ex morte pie sanctaeque memoriae Domini parentis nostri colendissimi, et itinere non satis commodo fatigati, non potuimus opportune absolvere. Verumtamen Cracoviae animo quietiore facti, quicquid Illustritatis Vestrae causa in rem Ioannis de Verden, de nobis etiam bene meriti, facere potuerimus, prompto et alacri animo faciemus. Bene ac foeliciter valeat. Datum ex Schereszow, die VIII mensis Maii, anno Domini MDXLVIII.

a) *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.* b)

a)-b) *manu propria.*

N. 422.

Cameneciae in Lith., 8.V.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
se ad litteras ducis responso semel dato, de eadem re iterum scribere
debere non censem.*

(m.p. regis subscriptum)

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

N. 423.

Brestae, 10.V.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de cineribus detentis.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Consanguinee Charissime.

Priusquam ad Comicia Regni nostri Petrcoviam profecti fueramus, scripseramus Illustritati Vestrae, quod cives Montis Regii cineres nostros, per officiales nostros iuratos Cownae probatos, detinuerint, contendentes de novo illos probare. Quos hactenus detinent, non sine indignitate et incommodo nostro. Nihil tamen nobis Illustritas Vestra respondit. A qua cupimus, ut cineres nostros dimitti faciat et in futurum prohibeat, ne nos hac indignitate et molestia afficiant. Non enim his legibus et emporiis eorum res nostrae teneri debent. Qua in re respondeat Illustritas Vestra velimus. Et bene valeat. Ex Brzesczie, die X mensis Maii, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Regni nostri anno decimo nono.

a) *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.* b)

a)-b) *manu propria.*

N. 424.

Cracoviae, 8.VI.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ad exequias patris [Sigismundi I] ducem invitat.*

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Domine, Consobrini noster Charissime.

Posteaquam civitatem hanc nostram Cracoviensem, Deo bene iuvante, pervenimus foeliciter, suscepta deliberatione cum Regni nostri Con-

siliariis, diem iustis divo parenti nostro persolvendis constituimus pro stridie Divi Iacobi. Quoniam vero cum illi, tum nobis duplice nomine Illustritas Vestra devincta est, postulamus ab illa et fraterne hortamur, ut aut ipsa veniat aut, si abesse illi a terris suis longius tam periculosis temporibus non licet, nuncios suos mittat ad exequias divi parentis nostri coherestandas, atque hoc illi extrellum officium prestet. Rem nobis factura valde gratam Illustritas Vestra. Quae ut diu beneque valeat, optamus. Datum Cracoviae, VIII Iunii, anno Domini MDXLVIII.

a) Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 425.

Cracoviae, 10.VI.1548.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

nuntium ducis Assuerum [Brandt] se audivisse significat, qui ei quae in mandatis habuit secreto exposuit; per quem responsum suum duci daturam.

(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

HBA, B 1, K. 305.

N. 426.

Cracoviae, 11.VI.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

litterae commendatitiae pro Andrea Modrzewski Fricz, praeposito Brzesinensi.

Sigill. V.

HBA, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Domine, Consobrini noster Charissime.

Mittimus ad Illustritatem Vestram Venerabilem Andream Modrzewski Fricz, Praepositum Brzesinensem et Secretarium nostrum devote nobis dilectum, cui dedimus in mandatis, ut Illustritatem Vestram viseret et nonnulla nomine nostro illi referret. Quare postulamus ab Illustritate Vestra, ut dicenti ei fidem habeat, non aliter quam si nos ipsos coram loqui audiret. Factura nobis rem gratam. Quae bene valeat. Datum Cracoviae, XI Iunii, anno Domini MDXLVIII, Regni vero nostri XIX.

a) Sigismundus Augustus Rex subscrispsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 427.

Cracoviae, 12.VI.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
ad ea, quae per nuntium ducis sibi significata sunt, oretenus per eundem
nuntium se respondere nuntiat.
(m.p. regis subscriptum)*
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 305.

N. 428.

Cracoviae, 15.VI.1548.

*Bona regina Poloniae
Ioanni a Werden
de pecunia, quam debet reginae; de ceteris scribere se non posse, nam
undique mundus tutus non est.
Sigill. X.
(Cum schedula).
H B A, B 1, K. 305.*

N. 429.

Cracoviae, 26.VI.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de salvo conductu Alberto Brandenburgensi iuniori concessso.
Sigill. V.
H B A, B 1, K. 305.*

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps et Domine, Consobrine noster Charissime.

Non sine quadam admiratione legimus literas Illustritatis Vestrae, quibus a nobis postulat, ut Illustri Domino Alberto Iuniori, Marchioni Brandenburgensi, nostro suoque nepoti, ad nos proficiscenti, fidei publicae literas mittamus, quem salvum conductum vocant. Quandoquidem cuivis homini christiano, sive Princeps is sit, sive privatus aliquis, libere transire per Regnum nostrum absque salvo conductu liceat, tantum abest, ut eo opus habeat is, qui et invitatus a nobis est et arcta nos propinquitate attingit, qui antea quoque, cum nullas habuisset a divo parente nostro literas salvi conductus, libere nihilominus per ditionem nostram proficiscebatur. Visum id nobis est minime necessarium, cum salvi conductus literae dari non soleant nisi iis, quibuscum aliquid inimicitiarum intercedit. Nisi forte salvum conductum intelligi velit Illustritas Vestra eas, quas vocant passus literas.

Nos, ut satisfaceremus Illustrati Vestrae, mittimus utrasque: in

unis enim significamus, quod fide nostra veniat, in alteris, ommissa clausula hac, quod fide nostra veniat, qua non indigent amici, nihil aliud quam admonemus nostros, ut Illustritatem eius venientem omnibus humanitatis officiis prosequantur. Quod nobis quidem satis fore videtur. Ac mallemus, ut Illustritas eius iis alteris uteretur. Quae de nobis ea omnia sibi, que de benevolentissimo patruo suo polliceri potest. Illustratatem Vestram diutissime foelicem valere cupimus. Cracoviae, XXVI Iunii, anno Domini MDXLVIII, Regni nostri XIX.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) manu propria.

N. 430.

Cracoviae, s.d., VI.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
iterum de negotio cinerum.

Sigill. V.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps et Domine, Consobrine noster Charissime.

Quod scribit Illustritas Vestra cives Regiomontanos, subditos suos, habere privilegium de probando cinere, quod illis violare Illustritati Vestræ non liceat, nos privilegium illud cuiusmodi sit nescimus. Quandoquidem vero peritos et ipsi probatores Kownae habemus, non videmus, quae sit necessitas iterum eosdem cineres probandi in Monte Regio, cum alio deportentur, nimirum in civitatem nostram Gedanensem. Nobis quae semel de Consiliariorum Magni Ducatus nostri Litvaniae sententia constituta sunt, ea extra Ducatum illum mutare fas non est.

Proinde ab Illustritate Vestra postulamus, ut interea temporis cineres istos deportari in civitatem nostram Gedanensem permittat, dum nos in Litvaniam redeamus, deque privilegio isto, quod habere civitatem suam dicit Illustritas Vestra, cuius nobis exemplum dari velimus, una cum Senatoribus Magni Ducatus nostri deliberatione suscepta certi tandem aliquid, citra cuiusquam iniuriam, statuamus. Fecerit pro officio suo et pro mutua necessitudine nostra. Quam bene valere optamus. Datum Cracoviae,^{a)} Iunii, anno Domini MDXLVIII, Regni nostri XIX.

b) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{c)}

a) sequitur spatium album.

b)-c) manu propria.

N. 431.

Cracoviae, 22.VII.1548.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Martino Wolski (in ms. Volski) de Stawłowice
(in ms. Stavlovicze).
(m.p. reginae subscriptum)

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 305.

Cracoviae, 13.VIII.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
postulat, ut oppidanis de Wąsosz, subditis suis, iustitia administretur.

Sigill. VII.

(Annexum: Elenchus gravaminum cum nominibus etc.)
H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Frater noster Charissime.

Quemadmodum cum Illustritate Vestra, dum hic Cracoviae apud nos esset, egimus, ut subditis nostris, oppidanis Vassosensibus Ducatus nostri Masoviae, iusticiam administrari mandaret de iis iniuriis, quibus se per Capitaneos finitimos Illustritatis Vestrae affectos esse questi sunt, idem nunc per literas repetendum duximus. Postulamusque ab Illustritate Vestra, ut eiusmodi iusticiam dictis subditis nostris de Capitaneis suis administret administrarique mandet iuxta hunc scriptum indicem iniuriarum, quem Illustritati Vestrae hisce literis inclusum mittimus. Quem tametsi hic Illustritati Vestrae dederimus, ne tamen forte intercederet, iterum cum his nostris literis mittendum duximus. Efficereque velit Illustritas Vestra, ut non solum hae descriptae iniuriae et damna, subditis nostris praefatis illata, sartiantur et compensentur, sed ne in posterum eiusmodi aut aliae quaepiam illis per Praefectos aut subditos Illustritatis Vestrae inferantur. Factura Illustritas Vestra rem aequam, nobis gratam et ad conservandam subditorum utrinque pacem et concordiam opportunam. Quam bene et foeliciter valere cupimus. Cracoviae, feria secunda post festum Sancti Laurentii proxima, anno Domini MDXLVIII, Regni vero nostri XIX.

Ex commissione propria Sacrae Regiae Maiestatis.

Annexum:

Iniuriae civium opidi Vasosze, quibus quaeruntur²⁾ se esse affectos a Capitaneis Illustris Domini Dicis Prussiae.

Iacobus Sadlo, civis de Vasosze, Masoviae opido, quaeritur, quod dum ad nundinas in villam Calinovo, dicionis Illustritatis Suae Ducalis, venisset, emit aliquod²⁾ pecora, tanquam in foro libero et a Sua Illustritate Ducali constituto. Cum quibus cum domum rediret, Capitaneus Suae Illustritatis de Stradaum ipsi Iacobo via occupata eadem pecora recepit, nec sibi restituere voluit. Quae pecora estimat sibi ad septem sexagenas grossorum.

Ioannes Zaczeczk quaeritur contra eundem Capitaneum de Stradaum, quod ipse Capitaneus Illustritatis Suae vocavit ipsum Ioannem, ut ad ipsum veniret et forum occasione piscium secum faceret. Qui dum ad Lyk ea causa venisset, idem Capitaneus, fide sibi non servata nec foro facto, sibi, Ioanni, equum cum sarcinis violenter recepit et ipsum expulit. Quem equum una cum rebus receptis estimat sibi ad octo sexagenas pecuniarum Polonicalium.

Liberi cum uxore quondam Stanislai Dril, de Vasosze, quaeruntur cum lachrimis de Capitaneo Suae Illustritatis in Orzesze, quod ipse in via libera, in terris Prussiae, cum rebus, curru et equis eundem Stani-

slaum Dril captivavit pro eo, quod frustum cerae exiguum et duos pisces siccios in curru reperit apud eum, quae ipse emit in terris Prussiae, et acceptis in suum usum rebus praefatis, tandem eundem Stanislauum suspendit in arbore. Quas res, currum cum equis, receptas liberi cum uxore, preter caput patris sui, estimant sibi ad ducentos florenos pecuniarum.

Stanislaus Kolibaba de Vasosze quaeritur de Capitaneo Illustritatis Suae de Barthi, quod dum ex Eilaw in domum proficiseretur, ipsum in via libera cum mercanciis suis, curru et equis, valoris quadraginta florenorum pecuniarum, recepit et hactenus restituere non vult, ad iniuriam et praeiudicium ipsius Stanislai.

Adam et Michael Bagienski, Mathias Dura, Ambrosius Brudnak quaeruntur graviter contra Nobilem Anthonium de Liubwalth, Capitanum in Pysz Suae Illustritatis, quod dum equitaverint in Biala ad nundinas, iurisdictionis Illustritatis Suae, extunc idem Anthonius praefatos cives cum curribus, panno, mercibus oneratis, ac equis universaque substancia ipsorum, quam sibi estimant ad octingentos florenos, violenter recepit et in arcem Pysz deduxit. Quae omnia tanto tempore tenuit, quoque nundinae praeterierunt. Quibus preteritis, negligenciam illis, quam sibi pensant ad trecentos florenos, in revendendis mercibus commisit.

De quibus iniuriis suprascriptis dum praedicti cives Sacrae Regiae Maiestati defunctae quererentur, Maiestas illius Regia defuncta Suae Illustritati scripsit, sed Sua Illustritas hactenus nullam iusticiam occasione huiusmodi iniuriarum facere voluit.

In summa omnis negociacio subditis Illustritatis Suae in palatinatu Masoviae libera est, nostri autem cives in terris Prussiae, quocies istuc veniunt, capiuntur et rebus omnibus exuuntur, ad ultimum patibuli supplicio afficiuntur.

Nobiles Rakowsczi, filii Michaelis Rakowski, de terra Visnensi, quaeruntur Maiestati Vestrae graviter de praefato Capitaneo in Pysz, quod ille neglecta pace communi, quam terra Prussiae cum Regno et Masovia habet, manu armata et potenti in Masoviam proxima feria quinta ante festum Sanctae Mariae Magdalena invadens, primum frumenta ipsis conculcavit et contrivit in fundo ipsorum proprio, ab ipsis nobilibus dum pacifice possesto. Hac conculcacione segetum non contentus, idem Capitanus Illustritatis Suae eundem Rakowski in domo sua invadens occidit et de vivo mortuum fecit, filios eius praefatos vulneribus affecit.

Supplicant igitur humiliter, quatenus Maiestas Vestra dignetur cum ipso Domino Duce Prussiae constituere, quo huiusmodi iniuriis non afficerentur et damna ab illis iura²⁾ cum homicidiis patrata reficiantur. Nam nusquam alias, quam nunc, huiusmodi iniuriis, potissimum a Pruthenis dicionis Illustritatis Suae, affecti sunt.

2) sic in ms.

N. 433.

Haydelbergae, 16.VIII.1548.

Otto Henricus comes palatinus Rheni
Bonae regiae Poloniae
fratris sui Philippi mortem nuntiat, de morte regis [Sigismundi I] con-
dolet; petit, ut sibi regina apud regem filium annuam pensionem
impetret.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 305.

Varsaviae, 5.IX.1548.

*Bona regina Poloniae
Ottoni [Truchsess], cardinali Augustensi,
de matrimonio filiarum; de duce Braunsvicensi.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 305.*

Bona Regina Ottoni Cardinali Augustensi.

Reverendissime in Christo Pater et Domine, Amice Charissime ac Honorande, salutem et omnis felicitatis incrementum.

Facit amor ac benevolentia singularis Dominationis Vestre Reverendissime erga nos, cognita nobis et perspecta, ut cum ea de omnibus nostris negociis libere atque amice conferre audeamus. Matrimonia Serenissimarum filiarum nostrarum pro pietate et debito nostro materno nos sollicitant. Idcirco ad Reverendissimam Dominationem Vestram servitorem hunc nostrum cum hiisce litteris nostris, ea de re scriptis, mittimus. A qua petimus, ut per illum perscribat nobis, an iam Illustrissimus Dominus Dux Ernestus cum Illustrissimo Domino Vilelmo, fratre suo, prout instituerat, transegerit et quid cum eo constituerit. Quod si vero non esset adhuc res inter eos transacta, rogamus Vestram Reverendissimam Dominationem, operam suam facere velit, ut res instituta non protrahatur, et ut matrimonium inter eius Illustrissimam Dominationem et Serenissimam filiam nostram, Dominam Reginam Ungarie, iam tandem feliciter perficiatur.

Commendamus Reverendissime Dominationi Vestre Illustrissimum Dominum Albertum Marchionem Brandenburgensem, qui in suis negociis prefectus est ad Sacram Cesaream Maiestatem. Quae ut ex animi sui sententia conficere^{a)} queat, rogamus Reverendissimam Dominationem Vestram, ut eum apud illius Cesaream Maiestatem adiuvare velit, quo citto illinc absolutus ad matrimonium cum Serenissima filia nostra conficiendum expedicior esse queat.

Preterea et de Illustrissimo Domino Duce Braunssvicensi, quid ille etiam agat, scire ex Reverendissima Dominatione Vestra cupimus. Proinde rogamus eam, ut et de hoc Principe et de illis duobus Dominis Ducibus, num iam de rebus transegerint et quomodo transegerint, quid deinde agere decreverint et quid de matrimonii et affinitate eorum polliceri nobis debeamus, perscribat nobis Dominatio Vestra Reverendissima. Nam nos, quantum in nobis est, vellemus matrimonia hec cito transacta esse et consumata. Dominatio Vestra Reverendissima pro amore suo rem hanc, prout amanter cepit, promoveat, sollicitet, agat et conficiat, et amorem erga nos suum hoc benevolentie testimonio declaret et confirmet. Quem illi omnibus amicis officiis et gratificandi studio referre curabimus. Ne miretur autem Dominatio Vestra Reverendissima litteras a Serenissimo Rege, filio nostro, se nullas nunc accepisse. Nam et nos et illius Maiestas sumus nunc in diversis disiunctisque locis. Cupimus ex animo Dominationi Vestre Reverendissime longam et felicem vitam. Varsovie, V^a Septembbris, MDXLVIII.

a) *correctum ex: conficiat.*

N. 435.

Kunów, 7.IX.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Achatio Czema.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VIII.
H B A, B 1, K. 305.*

N. 436.

Varsaviae, 12.IX.1548.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
gratias agit pro salutationibus et notitiis missis per Ioannem a Werden,
per quem responsum mittit.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 305.*

N. 437.

Varsaviae, 16.IX.1548.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro piscibus salitis sibi missis gratias agit.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 305.*

N. 438.

Varsaviae, 17.IX.1548.

*Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
in re iustitiae cuidam ducis subdito administrandae eum ad litteras consu-
lum Varsaviensium remittit.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 305.*

Radomiae, 25.IX.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

*pro notitiis ex Livonia gratias agit; de milite ex consensu imperatoris
[Caroli V] pro magno duce Moscoviae in Lubeca conscripto.*

Sigill. VI.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

*Illustris Princeps, Domine, Consobrine noster Charissime, salutem
et foelicitatem.*

Habuimus ad praesens Illustris Dominationis Vestrae litteras, quibus pro solita eius erga nos observantia significare nobis curavit ea, quae a Capitano suo Memelensi de Comiciis Livoniae indictis, simulatque de milite, qui ex consensu Sacrae Caesareae Catholicae Maiestatis Magno Duci Moscorum in Lubeca Germaniae conscribitur, deque aliis rebus intellexit. Pro quibus omnibus, quod nobis ea significare non praetermittit, habemus Illustri Dominationi Vestrae plurimas gratias, eumque illius erga nos animi affectum grato accipimus animo, postulantes ab ea, quicquid rerum huiusmodi, quae dominia nostra tangere videntur, etiam in futurum scire eam contingerit, quatinus nobis ea significare non intermittat. Beneque ac foeliciter valeat Illustris Dominatio Vestra. In Radom, die XXV^{ta} mensis Septembris, anno Domini MDXLVIII.

^{a)} *Sigismundus Augustus Rex subscripsit.* ^{b)}

^{a)-b)} *manu propria.*

Radomiae, 4.X.1548.

Sigismundus Augustus rex Poloniae

Alberto in Prussia duci

postulat, ut subditis suis ex Ducatu Masoviae iustitia administretur.

Sigill. VII.

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Frater noster Charissime.

Venerunt huc ad nos Nobiles de Zaczeczki et Rakovo Kienstutow Brod, de Ducatu nostro Masoviae, terra Visnensi et districtu Vassosensi, graviter querentes de iis iniuriis et damnis, quibus per Capitaneos Illustritatis Vestrae finitimos ac Nobiles de Rogale et Sokoli nunc denuo affecti sint. Quod bona illorum ter invaserint, prata conculcarint, fruges demessuerint et demessas igne exusserint, agros coarrarint aliasque violentias et damna intulerint, ita ut iam in domibus suis periculorum metu habitare non audeant, sed alio ad amicos, vitae et incolumitati suae consulentes, commorandi causa se conferant, supplicantes nobis,

ut eos ab eiusmodi violentiis, iniuriis et damnis tueri et defendere vellemus.

Quare duximus eos ad Illustratatem Vestram remittendos, postulamusque ab Illustritate Vestra, ut de iis omnibus iniuriis et damnis, quibus ipsi subditi nostri per Capitaneos et alios subditos Illustratis Vestrae se affectos esse queruntur, quemadmodum istic coram Illustrate Vestra plenius et singillatim omnibus his de rebus exponent, debitam et indilatam iusticiam eis administret, neque permittat amplius eiusmodi iniurias, invasiones damnaque illis inferri. Tandem Illustratatem Vestram bene et foeliciter valere cupimus. Datum in Radom, feria quinta ipso die festi Sancti Francisci, anno Domini MDXLVIII, Regni vero nostri XIX.

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit. b)

a)-b) *manu propria.*

N. 441.

Varsaviae, 8.X.1548.

Bona regina Poloniae
Alberto in Prussia duci
fructus ex hortis suis mittit.
(m.p. reginae subscriptum)
Sigill. X.
H B A, B 1, K. 305.

N. 442.

Varsaviae, 12.X.1548.

Bona regina Poloniae
Ioanni a Werden
de prospectato matrimonio ducis cum principissa Polona; de debito generi Ioannis [a Werden] sibi nondum persoluto.
(Exemplar)
H B A, B 1, K. 305.

Bona etc.
Generose, Fidelis dilecte.
Habuimus litteras a Fidelitate Tua ad nos proxime datas, ex quibus illa omnia, quae Fidelitas Tua nobis perscripsit, abunde satis intelleximus. Quod vero ad res ipsas in litteris illis eius contentas pertinet, ad illas mallemus Fidelitati Tuae respondere oretenus, quam per litteras. Sed tamen eadem nos opinione sumus nunc, qua et ante fuimus, si in nostra istud esset potestate, sicuti etiam eisdem de rebus cum Fidelitate Tua coram loquutae sumus. Sed istud sciat Fidelitas Tua, quod aliqui ex Prussia homines huc ad nos scripserunt, quod Fidelitas Tua ad nos huc temporibus istis venerat, propterea ut alias res nobiscum de matrimonii tractaret. Sed nos illis postea respondimus hoc modo, quod

Fidelitas Tua ad nos venerat non aliqua alia de causa nisi propter generi sui negotia. Et hic etiam Fidelitas Tua illis omnibus, qui Fidelitatem Tuam de his interrogaverint, non alio modo respondeat dicatque non in alio negotio fuisse nisi in generi sui, uti etiam cum Fidelitate Tua hic istud ipsum conclusimus, nam certe non est tutum temporibus istis hominibus quicquam credere. Volumus autem, ut Fidelitas Tua perfectis scriptis hisce nostris mox illa laceret vel comburat, ita quod nullus omnino illa videat.

Caeterum quod nobis suam generique sui promptitudinem in inserviendo nobis ubique defert Fidelitas Tua, grato id accipimus animo. Et quod dicit velle generum suum libenter ordinare nobis auri tantam, quantam voluerimus, summam, unum videlicet aureum pro 52 grossis solvendo, sciat Fidelitas Tua nolle nos tanto precio habere aurum hoc istic, nam et hic eo precio illud habere possemus, si vellemus. Sed nos carius aureos habere nolumus, quam per 50 grossos Polonos. Insuper autem nollemus, ut ita diu gener Fidelitatis Tuae apud se teneat pecuniam nostram, ut hoc praeterito tempore tenuit per annos ferme duos, de quo contentae non fuimus. Sed si voluerit per 50 grossos aurum nobis comparare, daremus ei aliquantam monetae summam, non ulterius tamen apud se tenendam nisi ad medietatem anni. Alioquin tam longo tempore, ut antea, tenere illam vellet, nos pecuniam non dabimus, nam nihil commodi id nobis referret.

Taleros similiter nolumus pluris habere, quam per duos vel ad minus cum medio grossos. Et sic si gener Fidelitatis Tuae inservire nobis sub istis conditionibus, uti dicimus, in conquirendo auro et argento voluerit, significet nobis Fidelitas Tua.

Quod nobis item scribit Fidelitas Tua velle generum suum nobis huc mittere vinum alacanticum, quamprimum Gedanum advehetur, bene mittat. Fecerit nobis rem gratam. Sed id videndum est, ut sit bonum. Sciat Fidelitas Tua, quod iam notario ipsi generi Fidelitatis Tuae, qui nobis aurum attulit huc, reddidimus omnia chirographa, quae apud nos fuerunt, et nos etiam quietationes nostras recepimus. Bene valeat Fidelitas Tua. Warschovia, XII Octobris 1548.

Ex mandato proprio Sacrae Reginalis Maiestatis.

N. 443.

Radomiae, 15.X.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de finibus terrarum inter Ducatum Prussiae et Masoviam, confectis Comitiis, statuendis.*

Vest. sigill. VII.

(Schedula adiuncta: de Alberto Brandenburgensi iuniore et de eius religione)

H B A, B 1, K. 305.

Sigismundus Augustus etc.

Illustris Princeps, Domine, Frater noster Charissime.

Habuimus literas Illustritatis Vestrae, quibus nobis scripsit de finibus inter Ducatum suum Prussiae et terras Masoviae quasdam contro-

versias oriri inter subditos nostros, inter quos constitutum utrinque fuerat, ut in pace et quiete viverent usque ad finalem eorundem limitum determinationem, quam forte una pars non expectando novas facere iniurias cepit et violenciis alteram partem aggressa est. Postulatque Illustritas Vestra, quatenus ad eas iniurias et violentias dispiciendas et cognoscendas ex parte terrarum Masoviae dare voluerimus iudices commissarios, et ex parte sua Illustritas Vestra itidem alios iudices commissarios dare se offert et animadverte in eos, quos cognoverit causam iniuriarum huiusmodi praestisse. Contenti sumus plurimum, quod Illustritas Vestra hoc facere decrevit. Nam etiam plures subditi nostri ex Masovia de huiusmodi iniuriis et violenciis ad nos questum veniunt. Quomodo haec omnia irrogantur illis preter aequum et ius vicinitatis a subditis Illustritatis Vestrae.

Ideo vellemus ad hoc intendere, ut haec^{z)} tandem querimoniae sistentur utrinque. Pollicemurque eciam Illustritati Vestrae daturos nos negotium iudicibus commissariis nostris, ut, si cognoverint nostros subditos de Masovia prestitis occasionem dissensionum et iniuriarum huiusmodi, illos quoque daturos poenam factorum suorum. Commissarios autem illos non possumus nunc mittere, donec post Comicia Regni proxima. Quod negotium differemus etiam Serenissimae Principi Dominae Bonae Reginae, matri nostrae charissimae ac honorandae. Cuius Maiestas in Masovia dotem suam inscriptam habet. Sed curabimus mox post Comicia Regni, nacto commodiori tempore, eos ipsos commissarios eo designaturos.^{z)} De quibus faciemus Illustritatem Vestram certiorem. Et interim dabimus in mandatis, sicut quoque Illustritas Vestra recepit se facturam ad subditos suos, ut a locis illis nondum diudicatis subditi nostri se abstineant et non ingerant et nec litem aliquam faciant. Illustritas eciam Vestra similiter faciat. Nam equidem indignum est toties huiusmodi iniurias audire easque non sistere. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum in oppido nostro Radomiensi, feria secunda in die Sanctae Hedvigis, anno Domini MDXLVIII, Regni nostri XVIII.^{z)}

a) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

Schedula adiuncta:

Legimus etiam hoc, quod nobis scripsit Illustritas Vestra de nepote suo ac affine nostro, Illustri Domino Alberto Marchione Brandemburgensi, expectabimusque non gravatim id, quod Illustritati Vestrae successive scribet. Sed quod attinet conditionem eam religionis, ad eum verbum interim relatam. Mox a principio ita nos quoque intelleximus futurum, quemadmodum Illustritas Vestra nunc sentire videatur.

Petricoviae, 15.XI.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de praefectura quadam, quam non Lithuano dare non potest; de morte
episcopi Varmiensis [Ioannis Dantisci], de cuius successore nihil
certi statuere potest, non audita prius sententia capituli Varmiensis.
Sigill. VIII.
H B A, B 1, K. 305.*

*Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps, Domine, Frater noster Charissime.
Redditae sunt nobis binae literae Illustritatis Vestrae, quarum alteris
petit a nobis, ut aliqua praefectura, quam Tivonatum vocant, servito-
rem nostrum Nobilem Ioannem Grabowski auctum et honestatum veli-
mus. Qua in re pro nostro fraterno erga Illustritatem Vestram animo
libenter illi gratificaremur, sed cum Lithwanus non sit, fas nobis non
est, ut contra iura Lithvanorum aliquid statuamus.*

*Alteris vero de morte Domini Varmensis Episcopi nos certiores
reddit, designatis duobus, quos in locum eius demortui nominari per nos
velit. Nos nihil adhuc statuere certi possumus, cum a Venerabili Capi-
tulo Nuncius ad nos nondum venerit. Qui simul ut de iuribus Ecclesiae
certiores nos reddiderit, nos ea libenter conservabimus, neque commit-
temus, ut aliquid a nobis contra ea factum videri possit. Ac tum Illustri-
tatis Vestrae commendationis memores erimus. Quam diu foelicem val-
lere cupimus. Datae Piotrcoviae, XV Novembris, anno Domini MDXLVIII,
Regni nostri XIX.*

^{a)} Sigismundus Augustus Rex subscripsit.^{b)}

^{a)-b)} manu propria.

Petricoviae, 29.XI.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
de responso [Pauli III] P.M., qui matrimonium unius ex sororibus regis
neque cum duce neque cum Alberto iuniore concedit.
Sigill. VIII.
H B A, B 1, K. 305.*

*Sigismundus Augustus etc.
Illustris Princeps et Domine, Frater et Consobrine Charissime, sa-
lutem et felicitatem.
Rediit nuper ad nos Venerabilis Martinus Cromerus, secretarius no-
ster, quem nuncium ad Pontificem Maximum miseramus, ac singularem*

Sanctitatis eius erga nos animi propensionem paternumque amorem declaravit. Cupere Sanctitatem eius nobis in omnibus, quoad recte posset, gratificari, etiam in dispensationibus matrimoniorum Illustrati Vestrae et Illustri Domino Alberto iuniori Marchioni Brandenburgensi cum Illustrissimis sororibus nostris concedendis. Quamvis in huiusmodi propinqua sanguinis coniunctione non nisi gravissimis de causis dispensari a Sede Apostolica soleret.

Sed obstarre aliud utrique, nemque quod se Illustrates Vestrae ab antiqua et orthodoxa religione et Ecclesia catholica segregassent. Non posse enim a Praeside Ecclesiae catholicae nisi cum iis, qui in Ecclesia essent, ulla de re dispensari, neque esse legitima matrimonia, quae quamvis rite alioqui^{a)} extra Ecclesiam contraherentur. Sed tamen quod ad Illustrum Dominum Marchionem attinet, delegaturam esse Sanctitatem eius causam legatis suis, quos haberet in Germania, ut si eius Illustritatem ad Ecclesiam redisse cognovissent, dispensarent cum ea et Illustrissima sorore nostra, ut illis inter se contrahere matrimonium liceret.

Porro quod ad Illustritatem Vestram attinet, esse praeterea duo impedimenta: alterum, quod ea votum continentiae aliquando vovisset, militiam regularem professa; alterum, quod bona ecclesiastica occupasset ac detineret. Ac de voto regularium dispensandi, ne Caesare quidem postulante, Sanctitatem eius legatis suis in Germaniam facultatem non concessisse, cum aliis ac de aliis dispensandi facultatem etiam adstrictam esse ita, ut omnes bona ecclesiastica, immobilia duntaxat, restituere cogerentur. Haec igitur omnia obstarre Illustrati Vestrae. Nec tamen Sanctitatem eius penitus praecidere spem Illustrati Vestrae, si compererit eam ad gremium communis matris Ecclesiae catholicae ex animo reversam esse et bona ecclesiastica restituisse. Quae ubi facta erunt, interposituram esse Sanctitatem eius partes suas diligenter, ut res cum Cruciferis placide componatur. Haec ita, ut Cromerus attulit, Illustrati Vestrae descriptimus. Quam diu salvam esse cupimus. Piotrcovia, XXIX Novembris, anno Domini MDXLVIII, Regni vero nostri XIX.

Ex commissione Regiae Maiestatis.
b) Sigismundus Augustus Rex subscripsit.c)

a) sequitur verbum expuncut: ab
b)-c) manu propria.

N. 446.

Petricoviae, 21.XII.1548.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae
Alberto in Prussia duci
pro Iacobo Konojacki (in ms. Konoiaczki), qui se in lacu Płowce ius ad
piscationem habere asserit.
(m.p. regis subscriptum)
Sigill. VII.
H B A, B 1, K. 305.*

Varsaviae, 22.XII.1548.

Bona regina Poloniae

Alberto in Prussia duci

de litteris regis [Sigismundi Augusti] ad ducem die 29.XI. datis. (cfr. N. 445).

Sigill. X.

H B A, B 1, K. 305.

Bona etc.

Illustrissime Princeps et Domine, Affinis noster Charissime, salutem et omnis felicitatis incrementum.

Reddite sunt nobis littere Illustritatis Vestre, una cum copia litterarum Serenissimi Regis, filii nostri charissimi, ad se scriptarum. Ex qua intelleximus, quid obstet, quod Summus Pontifex in dispensando difficilem se prebeat. Nos cum non simus simul cum Serenissimo Rege, filio nostro, nescivimus, quod Maiestas Sua Regia eiusmodi litteras ad Illustritatem Vestram scripserit, que non mediocrem ei dolorem pepererunt. Dolor hic Illustritatis Vestrae magnam nobis molestiam attulit. Notus est enim Illustritati Vestrae animus noster erga illam bonus. Agemus cum Serenissimo Rege, filio nostro, ut Illustritati Vestre gratum certumque det responsum. Et in quo commodare illi poterimus, non gravatim id faciemus. Cupimus Illustritatem Vestram sanam et felicem perpetuo valere. Varsaviae, die XXII Decembris, MDXLVIII.

^{a)} Bona Regina subscrisit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

ELENCHUS EPISTOLARUM

DAT.	NR.	DAT.	NR.	DAT.	NR.
Sigismundus I ad Albertum ducem:		1529, IV.25	57	1534, VIII.11	125
1525, VIII.5	1	» VII.16	58	» IX.14	128
» X.3	3	» IX.7	60	» X.20	130
» X.7	4	1530, IX.6	61	» XI.6	131
1526, I.28	5	1531, I.4	62	» XI.7	132
» I.29	6	» I.8	63	» XI.25	133
» III.9	7	» I.30	64	» XII.6	135
» III.19	8	» II.3	65	1535, VI.1	137
» III.25	9	» II.23	66	» XII.15	138
» III.27	10	» II.26	68	» XII.20	139
» IV.5	11	» IV.15	69	1536, III.3	140
» IV.5	12	» IV.29	70	» III.29	141
» IV.16	13	» V.10	71	» IV.3	142
» IV.30	14	» V.20	72	» IV.8	143
» VI.19	15	» V.27	73	» IV.24	145
» VI.23	16	» V.29	75	» IV.25	146
» VI.27	17	» VI.12	76	» V.19	148
» VII.6	18	» VIII.25	77	» VI.17	149
» VII.12	19	» VIII.28	78	» VI.28	150
» VII.14	20	» IX.14	79	» VII.3	151
» VII.16	21	» IX.19	81	» VIII.14	152
» VII.29	22	» IX.22	82	» IX.3	153
» VIII.16	23	» X.11	83	» IX.6	154
» IX.1	24	» XII.9	84	» XII.6	156
» IX.4	25	1532, I.18	85	» XII.27	157
» IX.13	27	» I.30	86	1537, II.2	158
» IX.18	28	» II.6	90	» II.13	159
» IX.21	29	» III.9	91	» III.8	160
» IX.23	30	» VII.4	92	» III.18	161
» X.19	31	» VIII.5	93	» IV.10	162
» X.27	32	» IX.21	94	» VI.25	164
» XI.24	33	1533, I.18	96	» VII.19	165
» XI.27	34	» II.24	97	» IX.10	167
» XII.10	35	» II.26	98	» X.8	168
1527, I.2	36	» IV.20	99	» XII.8	169
» I.2	37	» IV.20	102	1538, I.22	171
» II.22	39	» IV.22	103	» III.13	172
» II.28	40	» V.8	104	» VI.22	173
» II.28	41	» X.4	105	» VII.5	174
» III.8	42	» X.18	108	» VII.13	175
» V.9	44	» XI.20	109	» VII.21	176
» V.24	45	» XI.21	110	» XI.6	177
» V.29	46	1534, I.3	111	1539, I.7	179
» VII.3	47	» I.14	112	» II.9	180
» VII.3	48	» I.31	113	» II.13	181
» IX.7	51	» III.20	114	» II.15	182
» XII.18	52	» IV.8	115	» II.22	183
» XII.27	53	» IV.11	116	» III.5	187
1528, IV.13	54	» IV.22	119	» III.8	188
» VII.31	55	» IV.26	120	» IV.17	189
1529, III.7	56	» VI.13	121	» V.6	190
			122	» VI.20	191
			124	» VII.18	193

DAT.	NR.	DAT.	NR.	DAT.	NR.
1539, IX.24	194	1545, — —	302	1541, I.22. Ad consiliarios	
» XII.20	195	1546, III.23	309	ducis in Prussia . . .	223
1540, II.22	198	» III.25	310	» II.18. Universis . . .	224
» II.28	199	» VI.22	313	» VIII.21. Ad consilia-	
» III.11	200	» VII.10	315	rios terrarum Prus-	
» IV.19	201	» VIII.17	323	siae Regalis . . .	241
» IV.27	202	» IX.13	327	» XII.21. Ad prelatos	
» VI.5	204	» X.22	330	et canonicos capitul-	
» VI.27	206	» X.23	331	li Varmien.	248
» VI.27	207	» XII.15	337	1544, I.23. Ad consiliarios	
» VI.28	208	» XII.20	338	Prussiae	281
» VIII.10	210	1547, I.2	341	1545, III.11. Universis	303
» VIII.12	211	» II.24	348	1546, VIII.16. Ad procon-	
» VIII.15	213	» II.24	350	sules et consules	
» VIII.28	214	» III.5	354	Gedanen.	322
» X.9	215	» III.21	357	» VIII.17. Universis .	324
» XI.9	216	» III.22	358	» VIII.18. Ad procon-	
» XI.12	217	» IV.18	363	sules et consules	
» XI.12	218	» V.9	366	Gedanen.	325
1541, I.20	222	» V.13	368	1547, IV.17. Ad commissa-	
» II.25	227	» V.31	370	rios suos	362
» III.10	228	» VII.17	380	Bona regina ad Albertum du-	
» III.17	229	» VII.18	382	cem:	
» IV.22	231	» VII.30	387	1527, IV.17	43
» V.1	232	» VIII.13	390	» IX.3	50
» V.30	233	» VIII.18	391	1529, VIII.1	59
» VI.10	234	» VIII.25	393	1531, II.18	67
» VI.19	236	» IX.7	394	» V.27	74
» VI.26	237	» IX.30	395	» VIII.30	80
» VII.4	238	» X.21	397	1532, I.29	87
» VII.16	239	» XI.20	400	1533, VIII.9	106
» VIII.20	240	1548, I.21	402	» VIII.28	107
» X.4	243	» III.14	412	1534, III.28	118
» X.15	244			» IV.27	123
» X.17	245			» VIII.19	126
» XII.13	247	Aliae epistolae Sigismundi I:		» XI.27	134
1542, III.9	249			1536, IV.23	144
» IV.22	250	1525, X.1. Ad proceres Po-		» IX.23	155
» VII.20	251	loniae	2	1537, V.24	163
» VII.23	252	1526, IX.5. Ad consiliarios		» VIII.19	166
» VIII.23	253	Prussiae Regalis . . .	26	1538, I.4	170
» IX.7	254	1527, I.6. Ad Erhardum		1539, III.4	185
» IX.8	255	Queiss, ep. Pomes- <td></td> <td>» XII.22</td> <td>196</td>		» XII.22	196
» XI.23	256	nien.	38	1540, II.8	197
1543, I.20	257	» VII.18. Ad officiales		» V.31	203
» IV.13	259	Ducatus Masoviae .	49	» VIII.13	212
» VI.3	260	1532, IX.17. Ad officiales		» XI.28	219
» VI.16	262	Prussiae Regalis et		1541, I.16	220
» VIII.1	265	Masoviae	95	» II.18	225
» VIII.15	267	1533, III.5. Ad subditos		» II.24	226
» VIII.24	270	suos in terra Cul-		» XII.7	246
» VIII.25	271	mensi	100	1543, VI.16	264
» VIII.27	272	» III.8. Ad communi-		» VIII.1	266
» VIII.31	273	tatem oppidi Graud-		» VIII.23	269
» IX.8	274	nicensis	101	1546, V.13	312
» XI.11	277	1534, IX.13. Ad officiales		1547, V.8	365
» XII.15	278	civitatum Prussiae		» VII.19	383
» XII.17	279	Regalis	127	» VII.20	384
1544, II.18	282	» IX.26. Ad Ioannem		» XI.6	399
» III.29	284	regem Hungariae .	129	1548, II.1	405
» VI.7	290	1535, III.27. Ad consilia-		» II.4	408
» VI.28	291	rios Prussiae Rega-		» III.27	414
» VII.4	292	galis	136	» IV.17	418
» IX.17	294	1540, VI.5. Ad omnes Du-		» IV.27	420
» X.8	296	catus Prussiae con-			
» XI.10	297	siliarios	205		
» XII.11	301				

DAT.	NR.	DAT.	NR.	DAT.	NR.
1548, VI.10	425	1546, III.30	311	1547, X.21	398
» VII.22	431	» VII.3	314	» XII.31	401
» IX.12	436	» VII.19	316	1548, I.22	403
» IX.16	437	» VII.20	317	» I.30	404
» IX.17	438	» VII.26	318	» II.3	406
» X.8	441	» VII.29	319	» II.3	407
» XII.22	447	» VIII.15	320	» II.9	409
		» VIII.15	321	» II.16	410
		» IX.2	326	» II.29	411
Aliae epistolae Bonae reginae:		» IX.29	328	» III.16	413
1548, VI.15. Ad Ioannem a Werden	428	» X.8	329	» IV.6	415
» IX.5. Ad Ottонем Truchsess, card. Augustanum	434	» X.28	332	» IV.9	416
» X.12. Ad Ioannem a Werden	442	» XI.12	332	» IV.16	417
		» XI.15	334	» IV.27	419
		» XI.29	335	» V.8	421
		» XII.5	336	» V.8	422
		» XII.23	339	» V.10	423
		» XII.27	340	» VI.8	424
		1547, I.2	342	» VI.11	426
Sigismundus Augustus ad Albertum ducem:		» II.8	343	» VI.12	427
		» II.8	344	» VI.26	429
		» II.9	345	» VI —	430
1532, I.29	88	» II.9	346	» VIII.13	432
1534, III.28	117	» II.9	347	» IX.7	435
1536, IV.25	147	» II.24	349	» IX.25	439
1537, VI.25	164	» II.27	351	» X.4	440
1538, XI.11	178	» II.27	352	» X.15	443
1539, III.4	186	» II.27	353	» XI.15	444
» VI.20	192	» III.8	355	» XI.29	445
1540, VII.30	209	» III.10	356	» XII.21	446
1541, IV.7	230	» III.22	359		
» V.1	232	» IV.10	360	Elisabetha regina ad Albertum ducem:	
» VI.15	235	» IV.13	361	1544, III.11	283
» IX.12	242	» IV.23	364	» V.7	287
1543, I.28	258	» V.10	367	1539, III.3. Isabella, regina Hungariae, ad Albertum ed Dorotheam duces	293
» VI.15	261	» V.26	369	1548, VIII.16. Otto Henricus, comes pal. Rheini, ad Bonam reginam	295
» VI.16	263	» VI.1	371	1548, VIII.16. Otto Henricus, comes pal. Rheini, ad Bonam reginam	299
» VIII.17	268	» VI.12	372		
» X.29	275	» VI.13	373		
» XI.3	276	» VI.30	374		
1544, I.20	280	» VII.1	375		
» IV.16	285	» VII.2	376	1532, I.30. Hedvigis, Sigismundi I filia, ad Albertum ducem	89
» IV.29	286	» VII.7	377	1539, III.3. Isabella, regina Hungariae, ad Albertum ed Dorotheam duces	184
» V.15	288	» VII.8	378	1548, VIII.16. Otto Henricus, comes pal. Rheini, ad Bonam reginam	433
» V.15	289	» VII.16	379		
» XI.12	298	» VII.17	381		
» XII.2	300	» VII.21	385		
1545, IV.26	304	» VII.29	386		
» XII.16	305	» VIII.7	388		
1546, II.10	306	» VIII.10	389		
» III.16	307	» VIII.23	392		
» III.17	308	» X.18	396		

ELENCHUS SIGILLORUM *) (Tabulae I-VI)

Sigilla Sigismundi I:

I	Sigillum maius Poloniae
II	Sigillum minus Poloniae
III	Signetum
IV maius	Sigillum maius Lithuaniae
IV	Sigillum minus Lithuaniae
V	Signetum

Sigilla Sigismundi Augusti:

VI maius	Sigillum maius Lithuaniae
VI	Sigillum minus Lithuaniae
VII et VII a	Sigilla minora Poloniae (« sigilla cancellariae »)
VIII	Sigillum maius Poloniae
IX maius	Signetum
IX	Signetum

Sigilla Reginarum ac Reginularum:

X	Sigillum reginae Bonae
XI	Sigillum reginae Elisabeth
XII	Sigillum reginae Barbarae
XIII maius et XIII . . .	Sigilla reginae Catharinae
XIV	Sigillum Isabellae, reginae Hungariae
XV	Sigillum reginularum

*) Non omnia sigilla hic adducta documentis hoc in volumine editis impressa occurunt. Sed ut plenam demus imaginem sigillorum, quibus scripta totius Domus regiae Polonae annis 1525-72 praedita sunt (quorum documentorum residua pars in duobus sequentibus voluminibus huius seriei in lucem edetur), ea omnia hoc iam in volumine ponimus.

Dimensiones sigillorum a nobis adductae plerumque paululum maiores esse solent quam eae, quas M. Gumowski, Pieczęcie królów polskich, affert, eam probabiliter ob causam, quod ille non secundum impressiones, sed secundum matrices seu secundum copias fusas metiebatur.

INDEX NOMINUM PROPRIORUM

Hoc in Indice nulla ratio facta est nominum proprietorum in Introductione vel in Bibliographia occurrentium. Numeri non ad paginas, sed ad documenta referuntur.

A

ACCURSIUS Franciscus, iurisperitus, 193.
 ALBERTUS, marchio Brandenburgensis, dux in
 Prussia, *passim*.
 ALBERTUS junior, marchio Brandenb., 313, 317,
 357, 360, 367, 370, 403, 409, 429, 443, 445.
 ALEX[ander III. P.M., Rolandus Bandinelli],
 iurisperitus, 193.
 ALSTEINENSIS civis, 248.
 AMBROSIUS, Lithuaniae, 226.
 ANDREAS, concionator Lutheranus, 101.
 ANFORST Henricus, civ. Gedan., 31.
 ANGELUS [de Gemblionibus], iurisperitus, 193.
 ANGLIA, 412.
 ANNA virgo, ducissa Masoviae, 9, 44, 96.
 APEL Ioannes, canc. ducis Alberti, 220.
 ARET[inus, Franciscus de Accoltis], iurisperi-
 tus, 193.
 ARGENTINA (Strassburgum), 354.
 ARMENI Leopolienses, 194.
 AUGUSTA (Vindelicum), 350, 354, 412, 414, 434.
 AUGUSTINI s. monasterium, 5.
 AUSTRIA, 393.

B

BADEN, 340.
 BAGIEŃSKI Adam, 432.
 BAGIEŃSKI Michael, 432.
 BAIZEN v. BAŻEŃSKI.
 BALCZER, civ. Elbing. proscr., "Biberfenger",
 31.
 BALDUS de Ubaldis, iurisperitus, 193.
 BALGENSIS portus (Balia, Balga), 216, 222.
 BALTISARUS, Dantiscanus, capellanus, 23.
 BARTH v. Bartoszyce.
 BARBARA Radziwiłł, reg. Pol., 417, 419.
 BARTHOLOMÆI s. ecclesia, 23.
 BARTHOLOMÆI s. festum, 33, 262-4, 269.
 BARTNICKI (Barthniczki) Iacobus, subd. ducis
 Alberti, 104.
 BARTOLUS [de SAXOFERRATO], iurisperitus, 193.
 BARTOSZYCE (Barthi), opp. in Prussia Duc., 432.
 BARYN (Barin) Ioannes, civ. Elbing., 113.
 BAVARIA, 156, 167.
 BAŻEŃSKI (de Baisen, Bayzen) Georgius, pal.
 Marienburg., 3.
 BAŻEŃSKI (a Baizen) Ioannes, cast. Elbing.,
 349.

BELSENSIS pal. v. Niszczycieli.
 BERULIS, civ. Tilsensis, 139, 151.
 BESTENDORF (Bestenfass) Valentinus, Regiomon-
 tanus, 139, 151.
 BIALA, opp., 432.
 BIELIN v. Modzele-Bielino.
 BIELOWICZ Stanislaus, tywon Dirwanensis, 20.
 BIELSKO in Lithuania, 268.
 BLESZCZYŃSKI (Bleszinski), nuntius reg. Bo-
 nae, 226.
 BOCKI (Botzk), 208.
 BOHEMIA, Boheml, 165, 257, 394.
 BONA regina Pol., 43, 50, 59, 67, 80, 87, 106-7,
 118, 123, 126, 144, 155, 163, 166, 170, 185,
 196-7, 203, 220, 225-6, 228, 246, 264-6, 269,
 303, 312, 365, 383-4, 399, 405, 408, 414, 418,
 420, 425, 428, 431, 433-4, 436-8, 441-3, 447.
 BONONIA, 412.
 BORNHOLM N., civ. Gedan., proscr., aurifex, 31.
 BOTZK (Boczki) Ioannes Matthias, a, 208.
 BRANDENBURGENSIS, 9, 55, 135, 149, 153, 156,
 167, 187, 247, 252, 257, 309, 313, 362, 367,
 370, 412, 417, 429, 443, 445.
 BRANDT Assuerus, leg. ducis Alberti, 406, 425.
 BRANIEWO v. Braunsperga.
 BRANTH Andreas, servitor ducis Alberti, 174.
 BRATIANENSIS cap. v. Działyński Ioannes.
 BRAUNSPERGA, Braunspergum, (Braniewo),
 Braunspergensis, 6, 33, 36.
 BRAUNSVICENSIS v. Brunslicensis.
 BREDE Ioannes, civ. Gedan. "Staken Sthereuein",
 proscr., 31.
 BRESTA (Brzesczie) in Lithuania, Brestensis,
 291, 293-6, 423.
 BRODNICENSIS v. Działyński Raphael.
 BROK, opp., 290.
 BRUCKMANN Elisabeth, civ. Elbing., 26.
 BRUDNAK Ambrosius, subd. reg. Pol., 432.
 BRUNSVICENSIS, Braunsicensis dux [Wilhel-
 mus], 41, 434.
 BRZESZCZIE v. Bresta.
 BRZESINENSIS v. Brzezinensis, 426.
 BRZOZOWSKI Stanislaus, 395.
 BUDA, 184.
 BURGUNDI, 267.
 BURKARDUS, capell., 23.

C

CALINOVO, villa in Prussia Duc., 432.
 CALISCHIENSIS v. Sypychowski.

- CAMENECIA in Lithuania, 422.
 CAMPINE v. Kamponensis.
 CAROLUS V, imp., 63, 120, 140-1, 190, 204, 222-3,
 274, 279, 282, 285, 317, 323, 338, 350, 354,
 357-8, 370-1, 374, 380, 388-9, 393, 418, 439.
 CARWOWO v. Karwowski.
 CASIMIRUS marchio Brandenb., 313.
 CASPAR, nob. subd. ducis Alberti, 238.
 CASSUBIA (Casubia), Cassubae, 49, 55.
 CATHERINA reg Pol., v. pag. 162.
 CATHERINAE s. dies, 34, 37.
 CAUNA (Cawno, Kawne, Kowna), Caunensis,
 Kownensis, 33, 36, 90, 108, 121, 126, 148,
 175, 233, 298, 311, 316, 396, 413, 423, 430.
 CEMA v. Czema.
 CENKVC Petrus, concionator, 23.
 CHELMENSIS ep. v. Maciejowski Samuel.
 CHLEBOWICZ (Glebowicz, Hlebowicz) Ioannes,
 pal. Vitebscensis, *postea* Polocensis, 92, 119,
 139, 151.
 CHODKIEWICZ (Choczkiewicz, Chotkowicz) Hieronymus, cast. Trocensis, cap. Samogit.,
 147, 355.
 CHOJĘŃSKI Ioannes, archidiac. Crac., 57.
 CHONICE (Choynicze), 49.
 CHOTKOWICZ v. Chodkiewicz.
 CHRISTIANA RESPUBLICA, Christianus Orbis, 140,
 153, 189, 204, 252, 277, 282, 317, 338-9, 360,
 367, 375, 420.
 CHRISTIANUS II rex Daniae, 85, 318.
 CHRISTIANUS III rex Daniae, 140-1, 152, 165,
 168, 189, 195, 201, 252, 259, 267, 318.
 CICERO M. Tullius, 193.
 CIECHANOW (Cyechanow), 95.
 CISRKI (Cirsiki) v. Cyprki.
 CLINGENBECK (Klingenbeck) Georgius, nuntius
 ducis Alberti, 7.
 CNOTHE Iacobus, concionator, 23.
 COBER Caspar, civ. Elbing., 94.
 COCZICZE v. Kocice.
 COLNO, Kolno, 49, 95.
 CONOPK v. Konopki.
 CONSTANTI, opp., 354.
 COPPENHAGEN v. Hafnia.
 CORICZKI v. Korycki.
 COSTKA v. Kostka.
 COTFFICZ Sigismundus, subd. reg. Pol et ducis
 Alberti, 97.
 COVALEVO sive Schenseha v. Kowalewo.
 COWNA, Cownen sis v. Cauna.
 CRACOVIA, Cracoviensis, 1-4, 6, 13, 31-51, 57, 62,
 65-96, 98-105, 156-62, 164, 166, 168-71, 173-83,
 185-201, 213, 251-66, 274, 285, 297, 301-3,
 309-10, 313-4, 322-5, 327, 330-1, 337-8, 341,
 350, 354, 357-8, 362-3, 365-6, 368, 374, 397,
 412, 414, 418, 420-1, 424-7, 429-32.
 CRAYCZEN v. Kreiten.
 CREVENSIA cap. v. Narbuth Nicolaus.
 CROMER Ioannes, subd. reg. Pol., 307.
 CROMERUS Martinus, leg. reg. Pol. apud P.M.,
 445.
 CRONEMBERGK (Cronberg) v. Kronberg.
 CRUCIFERI, 140, 445.
 CRUCIFERI LIVONIENSES, 153.
 CUCHNOWSKI Petrus, nob. puer Pol., 226.
 CUIAVIA, 202.
 CULMENSIS, 18, 100-1, 104, 140, 159, 167, 362.
 CUNCZEWICZ v. Kuncewicz.
 CUNHEIM v. Kunheim Georgius, a.
 CURCIJULI v. Kurki.
 CYBO Iulius, marchio Massae, 412.
 CYECHANOW v. Ciechanów.
 CYPRKI (Cirsiki, Cirsiki), pagus, 208.
 CZARNE, villa, 236.
 CZEMA (Cerna) Achatius, pal. Marienburgens.,
 cast. Gedanen., cap. Stumensis et Slochovienensis (Czuchowski), 3, 36, 78, 191-2, 220,
 323, 351, 362, 435.
 CZEMA (Cerna) Fabianus, pal. Marienburgens.,
 225.
 CZERZA Venceslaus, doctor, 104.
 CZERMIEŃSKI Christophorus, notarius, 95.
 CZŁUCHOWSKI (Slochowiensis) v. Czema Achatius.

D

- DAMERAW Augustinus, civ. Caunensis, 311.
 DAMERAW Petrus, 261, 268, 286.
 DANIA, Dani, Danicus, 63, 66, 85, 140-1, 152,
 165, 167-8, 189, 195, 201, 252, 259, 267,
 278-80, 282, 318, 393, 401, 412.
 DANIEL, civ. Gedanen., "Kistenmacher", 31.
 DANTISCANUS v. Gedanum.
 DANTISCUS Ioannes, ep. Culmensis, *postea* Var-
 miensis, 101, 140, 159, 167, 444.
 DANUBIUS fl., 156, 167.
 DEBEN Christophorus, de, 15.
 DEBRICZ Heyno, familiaris ducis Alberti, 6.
 DECIVS (Dietz) Iostus Ludovicus, subd., reg.
 Pol., 154, 187.
 DELMENHORST (Delmenhorff), 189.
 DIETZ v. Decius.
 DIRWANENSIS tywon, 20.
 DITMARIA, 189.
 DOBROWODA, 274.
 DOHNA (a Don) Petrus, de, cap. in Morag,
 78, 91.
 DOLIWA Nicolaus, nob. Pol., 208.
 DOMANIEWSKI (a Domaniow) Ioannes, praepo-
 situs Vilnensis, 239, 319.
 DOROTHEA ducissa in Prussia, ducis Alberti
 uxor, 184, 364.
 DOWOJNA (Dovoyna) Stanislaus, pal. Polocen-
 sis, 356.
 DRAB Georgius, mimus, 124.
 DRAUSENSIS lacus, 191, 192.
 DRILA(v) DRYLA.
 DROST Ioannes, civ. Gedanen., aurifex, 31.
 DRWECA (Drwancza), fl., 15.
 DRYLA (Drila) Stanislaus, civ. Vassosensis, 160,
 432.
 DRZEWICKI Matthias, ep. Vladislaviensis, 23.
 DUBISSA, fl., 108.
 DURA Matthias, 432.
 DZIAŁDOWO (Dzialdow, Soldaw), Dzialdoviensis,
 49, 180, 368.
 DZIAŁYŃSKI Ioannes, cast. Culmen., cap. Bra-
 tianensis, 260, 362.
 DZIAŁYŃSKI Nicolaus, cast. Culmen., 98.
 DZIAŁYŃSKI Raphael, cap. Brodnicensis, 362.
 DZIAŁDOW v. Działdowo.

E

EILAW v. Ilawa.
EJRAGOLENSIS v. Włodkowicz.
ELBINGA, Elbingensis, 26, 31, 47, 94, 113, 216,
222, 349, 457.
ELISABETH regina Pol., Sigismundi Augusti
uxor, 283, 293, 295, 299, 303.
ELISABETH s. ecclesia, 23.
ELK (Lyk), 432.
ELSENYN Hieronymus, civ. Stargard., 11.
ELSEYN Michæl, civ. Stargard., 11.
ERFURT (Erfordia), 252.
ERICK Petrus, civ. Gedan., proscr., "Schipper",
31.
ERNESTUS dux Brunsvic., 434.
ERTFORDIA v. Erfurt.
EYLAU v. Ilawa.
EYSEN Berunt, a, civ. Gedan., mercator, 31.

F

FASOLT Paulus, cap. in Eylaw, 18.
FELIX a Cracovia, mag. coquinæ M. D. Lith.,
213.
FERBER Mauritius, ep. Varmiensis, 5.
FERDINANDUS I rex Bohemiae et Hungariae, rex
Romanorum, 120, 140-1, 149, 165, 189, 195,
222-3, 247, 251-2, 257, 274, 279, 285, 304, 338,
358, 370, 389, 390, 393, 403.
FIESCO (Fristio) Ioannes Ludovicus comes, a,
412.
FINKENOGHE N., civ. Gedan., proscr., sutor, 31.
FISCHER Fridericus, canc. ducis Alberti, 25.
FLANDRIA, 187.
FLESCHER Ioannes, civ. Gedan., proscr., "Lachs-
schneider", 31.
FLESZE (Flesche, Flethe), pagus, 208.
FLINTH Adrianus, civ. Gedan., proscr., 31.
FOGELSPERGER, militum Gallic. dux, 412.
FRAEDERICUS v. Fridericus.
FRANCI v. Galli.
FRANCISCI S. dies, 108, 440.
FRANCOFORIA ad Oderam, 167.
FREUSE Hieronymus, civ. Regiomontanus, 175.
FRIDERICUS I rex Daniae, 66.
FRIDERICUS dux Legnicensis, 309.
FRIDERICUS (Fraedericus), comes pal. Rheni,
dux Bavariae, 140, 167, 318, 412.
FRIDERICUS dux Saxoniae, 412.
FRISTIO, comes a, v. Fiesco.
FUGGER (Fucari), 412.
FULDER Wolfangus, civ. Gedan., 241.

G

GADENDORF Nicolaus, a, cubicularius ducis Al-
berti, 185-7.
GAISLER Ioannes, 415.
GALLIA, Galli (Franci), 282, 350, 412.
GASZTOLD (Gastold) Albertus, pal. Vilnen. et
canc. M. D. Lith., 132.
GEDANUM, Gdanum, Gedanensis (Dantiscanus).
4, 10, 14-21, 23, 31, 33, 36-7, 40, 45, 47, 51,

57, 68, 73, 141, 188-9, 191, 220, 222-3, 233,
241, 270, 275, 312, 316, 320-3, 325, 327, 348-9,
396, 408, 410, 413, 430.

GENUA, 350, 412.

GEORGII s. dies, 355.

GERKE Bartholomaeus, civ. Gedan., 241.

GERMANIA, Germanicus, 7, 9, 37, 54, 72, 83, 113,
116, 120, 140, 146, 153, 156, 170, 187-90, 195-9,
202, 208, 215-8, 220, 223, 226-9, 231, 233,
235, 243, 247, 250, 252, 254-5, 269-70, 274-5,
282-3, 287, 295, 304, 306, 338-9, 343, 349, 354,
366, 370-1, 409-10, 412, 439, 445.

GERMANIA INFERIOR, 252.

GEORGIUS marchio Brandenb., 149, 187, 222.

GEORGIUS dux Misniae, 412.

GIERANONY, 276.

GIESE Tiedemannus, ep. Culmensis, 362.

GILDEMESTER Kerstenn, civ. Gedan., proscr.
"Schipper", 31.

GLAUBICZ, 141.

GLAUBICZ Ioannes, servitor reg. Pol. et subd.
ducis Alberti, 58.

GLEBOWICZ v. Chlebowicz.

GNESNESSIS preepositus v. Laski Ioannes.

GNEW (Gniew), 340.

GOCKEL (Gockler) a Rorpach Rupertus, chirur-
gus ducis Alberti, 207, 211.

GOLIŃSKI Ioannes, nob. Pol., 179, 198, 210,
215, 402.

GOLUBKO, Armenus, 194.

GORCZYCA (Gorcicza) Ioannes, civ. Caunensis,
121.

GORDIANUS imp., 193.

GORSKI, opp., 361.

GRABOWKO, bona, 290.

GRABOWSKI Ioannes, nob., servitor reg. Pol.,
444.

GRABSKI Matthias, 173.

GRAUDENICZ, Grawdnicensis, v. Grudziądz.

GREBEL Gregorius, civ. Vilnen., 42.

GREGORIUS, civ. Gedan., proscr., "Teschner".
31.

GRODNO, Grodnensis, 62, 155, 166, 196, 238.

GRUDZIAŁP (Graudenicz), Graudnicensis, Grawd-
nicensis, 26, 82, 101, 187.

GUBERSTEIN Franciscus, civ. Caunensis, 298.

GULIELMUS marchio Brandenb., 44, 48, 98.

GUNOWSKI Ioannes, subd. reg. Pol., 104.

H

HAFNIA (Copenhagen), 63, 152.

HAMBURGENSIS (Hamburczanenses), 233.

HANSA (Hanzen, Hanza, Venden Bund), 233.

HEDVIGIS, filia Sigismundi I, Ioachimi elect.
Brandenb. uxor, 89.

HEDVIGIS s. dies, 443.

HELPRYM Thomas, ab, militum Gall. dux, 412.

HERMANN Valentinus, civ. Elbing., 31, 47.

HERMENDORFF Gertrudis, 327.

HERMENDORFF (Hermeszdruff) Martinus, nob.
Pruthenicus, 10, 325, 331, 348, 387, 397, 400.

HESSIA, 313, 393, 412.

HEWEN Laurentius, ab, civ. Varsav., 30.

HEYDELBERGA, 433.

HLĘBOWICZ v. Chlebowicz.

HOLANDI, 141.

HOLSATIA (Holstacia), 189, 282.
HARNENSES floreni, 457.
HUNGARIA (Ungaria) 129-30, 149, 165, 184, 187-8,
432.

I

IACOBI s. dies, 424.
IACOBUS, secr. civitatis Gedan., 270.
IANUSSIUS dux Masoviae, 4.
IASON, iurisperitus, 193.
IDE Ioannes, civ. Gedan., proscr., "Schipper",
31.
IERAGOLENSIS (Ejragolensis) v. Włodkowicz.
ILAWA (Eilaw, Eylaw), Ilaviensis, 18, 171, 200,
432.
ILOWSKI (Ilowski) Alexander, 181.
ILZA (Iżka), 409.
INSTEBURGUM (Insterburgk), Insterburgenses,
187, 226, 266-7, 269.
INSULA MARIA v. Quidzinum.
IOACHIMUS iunior marchio Brandenb., elector,
135, 140, 149, 153, 167.
IOANNES marchio Brandenb., 309.
IOANNES FRIDERICUS elector, dux Saxoniae, 313,
350, 357, 370, 375.
IOANNES (Zapolya) rex Hung., 129, 187-8.
IOANNESBURGK, Ioansbergensis, v. Jafsbork.
IOANNIS s. ecclesia, 23.
IOANNIS s. festum, 309.
JOSEPHI Albertus, civ. Posnan., 407.
IOVIS dies, 319, 326.
IUDAEL Posnanienses, 153.
ITALIA, 412.
ISABELLA regina Hung., Sigismundi I filia, 184,
187.
IUPPE Ioannes, civ. Gedan., proscr., "Barbie-
rer", 31.
IURBARENSIS, Iurborgk v. Jurborgk.
IWASZKO, Armenus, 194.

J

JACZKOWSKI N., nob. Pol., 226.
JANSBORG (Johannesburgk), Ioannesburgk, Piss,
Pisz, Pysz, Joansbergensis, 24, 208, 224, 292,
392, 432.
JECZKIEL Bernardus, civ. Regiomontanus, 298.
JEZIOROWSKI Iosephus, nob. Pol., 137.
JEZIOROWSKI Nicolaus de Roguinice, iudex ter-
rae Lomzensis, 158.
JOHANSBURG v. Jafsbork.
JULIACENSIS dux [Wilhelmus], 412.
JURBORK (Iurbark, Jurborgk), Jurborlenses, Iur-
benses, 106-7, 197, 203, 233-4, 353, 369.

K

KAMIELEC v. Camenecia.
KAMPONENSIS civitas (Kempen, Campine), opp.
in Belgio, 267.

KARWOWSKI (de Carwowo), fratres, 39.
KAUSCH Ioannes, civ. Gedan., proscr., 31.
KAWNENSIUS v. Cauna.
KEMPEN v. Kamponensis.
KETTING (Keting) Lucas, civ. Gedan., 323, 327,
331, 348, 387, 397, 400.
KIENTUTÓW Brod, 440.
KIERSKI Andreas, nob. Pol., 255.
KISTENMACHER Daniel, civ. Gedan., proscr., 31.
KLAJPEDA (Memel), Memelensis, 83, 163, 326,
429.
KLAIS Matthias, subd. ducis Alberti, 249.
KLEYS Matthias de Jurbork, 353.
KŁICZEWSKI (de Klecze Stifffth) Ioannes, 236.
KLINCZICZ Carvath Stephanus, leg. Caroli V, 63.
KLINGENBECK v. Clingenbeck.
KNOTH Bartholomaeus, presb., 23.
KOCICE (Cocicze, Koczyce), villa, 106-7, 196,
234, 245, 278.
KOFFMANN Lasarus, civ. Gedan., proscr., faber
tignarius, 31.
KOLIBABA Stanislaus, civ. Vassosensis, 432.
KOLNO v. Colno.
KONGSPERG v. Regius Mons.
KONJACKI Iacobus, 446.
KONOPACKI Ioannes, ep. Culmensis, 18.
KONOPKI (Conopk), pagus, 208.
KOPP Ioannes, mercator Gedanen. et Caunen.,
316, 396.
KORYCKI (Coriczkli) Hieronymus, aulicus reg.
Pol., 178.
KORTH Henricus, civ. Gedan., proscr., 31.
KOSTKA (Costka) Stanislaus, questor regius in
Prussia, 193.
KOWALEWO (Cowalewo, Schönsee, Schensehe),
castrum, 391.
KOWALEWSKI Stephanus, de Vitynie, 29.
KOWNA, Kownensis, v. Cauna.
KREITZEN (Crayczken) Christophorus, a, cap. Ta-
piensis, 410.
KREITZEN (Kreutzen) Ioannes, leg. ducis Alber-
ti, postea canc., 219.
KROESEL Ioannes, cap. in Ioannesburgk, 224.
KRONBERG (Cronembergk) Valterus, mag. Ordin.
Theuton., 64, 71, 131, 167.
KRUSZEWSKI Stanislaus, nob. Pol., 402.
KRYSKI (Crisski) Paulus, 76, 105.
KUKERNESZE, pagus, 55.
KUNCEWICZ (Cunczewicz) Ivan, factor Iurbaren-
sis, 234.
KUNHEIM (Cunheim) Georgius, a, cap. in Ta-
piaw, 117-8.
KUNHEIM Volmerus, a, 328, 351, 398.
KUNNIG Thomas, civ. Lubecensis, 31.
KUNOW, 435.
KURKI, Kurkowo (?) (Curcijuij), pagus, 208.
KWEISS v. Queiss.
Kwidzyn v. Quidzinum.
KYNYG Iacobus, presb., 23.

L

LABIAU (Labiia, Labiaw), 33, 379.
LABKOW, arx, 132.
LADE Ioannes, civ. Gedan., proscr., aurifex, 31.
Lanciciensis tribun. v. Sobocki.

- LANGE Martinus, civ. Gedan., 10.
 LASKI (a Lasco) Hieronymus Jaroslaus, pal. Siradien., 16, 129-30.
 LASKI Ioannes, praepositus Gnes., 130.
 LASKI (a Lasco) Stanislaus, pal. Siradiensis, leg. apud Carolum V., 318, 380, 382-3, 388-9, 392-3, 412, 414, 418.
 LATINA lingua, 401.
 LAURENTII s. dies, 165, 432.
 LAWRYNOWICZ Barbara, 377.
 LAWSKI Stanislaus, vexillifer Varsavien., 224.
 LEGNICKIENSIS, 187, 309.
 LEHENDORF Casparus, de, nuntius ducis Alberti, 308, 317.
 LEIB v. Lypno.
 LEOPOLIS, Leopolensis, 167, 194.
 LEPUNIA (Liepuna), fl., 226, 245.
 LESZCZYŃSKI (Lesczinski) Stanislaus, aulicus reg. Pol., 258.
 LEWICKI Andreas, 386.
 LIEPUNA v. Lepunia.
 LINDAU, opp., 354.
 LINZ (Linczium), opp. 247.
 LITHUANIA (Lituania, Litvania), Lituani, 3, 7-8, 33, 49, 55, 80, 84, 88, 92, 104, 106-7, 132, 138, 156, 162, 169, 177, 187, 195-7, 199, 202, 213, 220, 226, 233-4, 239, 266-8, 271, 273, 282, 291, 294-6, 300-1, 317, 319, 342, 361, 378, 381, 385, 401, 410, 418, 430, 444.
 LIUBWALTH Antonius, de, cap. in Pisz, 432.
 LIVONIA (Lywonia), Livoniensis, 6-9, 17, 64, 98, 131, 141, 149, 153, 169, 233, 259, 304, 410, 415, 439.
 LOBZÓW, 370.
 LOCKE, fratres, Ioannes et Georgius, nob. Pol., 99.
 LODZINKOWIAE, Armeni, 194.
 LOHMUELLER (Lomoller) Ioannes, leg. Prussicus, 149.
 LOMZENSIENSIS, 158, 172.
 LUBAWA (Lubaw), Luboviensis, 18.
 LUBECK (Lubeca), Lubecensis (Lubczanenses), 31, 141, 233, 439.
 LUCIAE s. dies, 34, 138.
 LUSATIA INFERIOR, 252.
 LUSATIA SUPERIOR, 252.
 LUTHERANI, 101.
 LYK v. Ełk.
 LYPNO (Leib), castrum, 391.
 LYWONIA v. Livonia.
- MARGARITHAE s. dies, 19, 263.
 MARIAE Virginis nativitatis festum, 319.
 MARIAE s. ecclesia, 23.
 MARIAE MAGDALENAE s. dies, 49, 432.
 MARIENBURGUM (Mariaeburgum, Marigemburgum, Maidenburgum), Marienburgensis, 3, 4, 7-13, 22-3, 82, 115, 141, 189, 192-3, 284, 323, 362, 404, 412.
 MARIENWERDER v. Quidzinum.
 MARQUARDUS, civ. Regiomontanus, 155.
 MARTINUS concionator, 23.
 MASSA marchio v. Cybo Iulius.
 MASOVIA (Masou), Masoviticus (Mazoveckii), 4, 9, 44, 49, 88, 90, 95-6, 104, 106, 145, 187, 189, 202, 208, 214, 217, 358, 392, 401, 440, 443.
 MATTHAEI ap. dies, 95.
 MATTHIAE ap. dies, 226.
 MAULEN Fabianus, a, 200.
 MAURITIUS, figulus Gedan., proscr., 37, 45.
 MAYDEL Michael, civ. Crac., 13.
 MEDNICKIENSIS v. Wierzbicki.
 MEMEL, Memelensis, v. Kłajpeda.
 MERCURIUS dies, 361.
 MERECHZ, 342.
 MICHAEL praedicator, 23.
 MICHAELIS s. dies, 267, 269, 309.
 MICHNOWICZ Stanislaus, subd. ducis Alberti, 56.
 MIELNO, bona in Ducatu Prussiae, 77.
 MILO (Ciceronis oratio pro Milone), 193.
 MIRCHAW (Mirachowo), 340.
 MISSNIA, 358.
 MŁAWA, opp. in Masovia, 95.
 MODRZEWSKI Fricz Andreas, praepos. Brzesiensis, 426.
 MODZELE-BIELINO (Modzel Bielin) Ioannes, a, 208.
 MOER Laurentius, civ. Gedan., proscr., "Bier-trapper", 31.
 MOLDAVI, 317.
 MOLER Ioannes, civ. Gedan., proscr., 31.
 MOLNER Iacobus, pleban., 23.
 MONS REGIUS v. Reginus Mons.
 MONTLUCIUS (Monthlycus) Ioannes, leg. regis Galliae, 412.
 MORĄG (Morangk), 91.
 MOSCOWIA, Mosci, Moscoviticus (Moscovicus), 63, 131, 138, 415, 439.
 MOSKIEWICZ Andreas, 102.
 MOZIRIENSIS v. Narbuth Nicolaus.
 MUNSTERBERGENSIS princeps, 96.

M

- MACIEJOWSKI Samuel, ep. Chełmensis, postea Plocensis, postea Cracovien., vicecanc. Regni Pol., 189-91, 198-9, 215, 217, 222, 224, 229, 247, 274, 277-8, 282, 284, 291-2, 296, 309-10, 315, 323-4, 330, 337-8, 354, 357-8, 363, 368, 374, 380, 390, 393, 397, 412.
 MACIEJOWSKI Stanislaus, aulicus reg. Pol., 229.
 MADRUZZO Christophorus v. Tridentinus cardinalis.
 MAIDENBURGUM v. Marienburgum.
 MAIOR POLONIA, 95.
 MALER Laurentius, mercator Gedan., proscr., 31.
 MARCOVIENSIS cap. v. Narbuth Ioannes.

N

- NANDORALBA, opp., 187.
 NARBUTH Ioannes, cap. Marcoviensis, 213.
 NARBUTH Nicolaus, marsalcus M. D. Lith., cap. Crevensis et Moziriensis, 319.
 NAVES (Nauis) Ioannes, de, vicecanc. Caroli V., 247.
 NAWGE Georgius, civ. Elbingen., 31.
 NEIDENBURGUM, Nibork, Neudenburgensis (Nithboriensis, Noydeburgensis), 180, 244, 254.
 NEMOLI pons, 412.
 NESTORKI anni, 193.
 NEUBURGUM Danubii, 156, 167.
 NEUDENBURGENSIS v. Neidenburgum.

- NEVENSIS cap., v. Werden.
 NEWNOCKPER Martinus, civ. Gedan., proscr., 31.
 NIBORK v. Neidenburgum.
 NIBSCHITZ (Nypczycz) Nicolaus, aulicus reg. Pol., agens ducis Alberti, 3, 30, 68-9, 106-7, 112, 122-3, 128, 149, 187.
 NIEPOLOMICE (Nepolomicze), 163, 267, 269-73.
 NISZCZYCKI Nicolaus, pal. Belsensis, 183.
 NISZCZYCKI Stanislaus, cast. Raciezinensis, 411.
 NITHORIENSIS v. Neidenburgum.
 NOREMBERGA, Norembergensis (Nurembergensis), 55, 233, 251.
 NORVEGIA, 167, 189.
 NOVA MARCHIA, 49.
 NOWENSIS v. Tynnie.
 NOYDEBGENSIS cap. v. Neidenburgum.
 NUEREMBERGENSIS v. Noremberga.
 NYEMEN, fl., 108.
 NYEPOLOMICE v. Niepolomice.
 NYMPCH Ioannes, 41.
 NYPCZYCZ v. Nibschtz.
- O**
- OBERTYN, 79.
 OBORNICKI Gregorius, subd. reg. Pol., 77.
 OCZAKOW, 317.
 ODERA fl. v. Francofordia.
 ODZINCZOWICZ Syemian, subd. reg. Pol., 109.
 OLEXIA, pagus, v. Podwoyski.
 OLDENBURGK, 189.
 OPALIŃSKI Petrus, leg. ad imp., 140.
 OPOLIENSIS (Oppoliensis) Ducatus, 149.
 ORZESZE, arx in Prussia Duc., 432.
 OSTROWSKI Stachczyk (Stanczuk), nob. Pol., 244.
 OTTA SCHEMILOWSKI v. Schemilowski.
 Otto Henricus, comes palat. Rheni, dux Bavariae, 156-7, 167, 252, 433.

P

- PACZKOWSKA Dorothea, 180.
 PACZKOWSKI Andreas de Zbans, nob. Pol., 180.
 PAULUS s., 417.
 PAULI S. conversionis festum, 5-6.
 PAULUS III, P. M., 190, 445.
 PAULIDES Venceslaus, a. Bonae reg. missus, 126.
 PAWLOCZYŃSKI, subd. reg. Pol., 160.
 PAWLOCZYŃSKI Nicolaus, nob. Pol., 24.
 PIOTRCOVIA (Piotrcovia, Pyotrkovia), Petricoviensis, 5-6, 34, 52-3, 63-4, 97, 172, 250, 278, 281-4, 380, 382-4, 387, 390-1, 393-5, 397, 399-410, 412, 423, 444-6.
 PHILIPPI et IACOBI ap. dies, 14.
 PHILIPPUS, com. pal. Rheni, 433.
 PHILIPPUS, landgravius Hessiae, 313, 412.
 PIOTRCOVIA v. Petricovia.
 PISS v. Jarisbork.
 PLACENTIA, 412.
 PLATEL v. Plotele.
 PLETTENBERG Valterus, de, magister Ord. Theut. in Livonia, 7, 17.
 PLOCENSIS ep. v. Maciejowski.

- PLOCENSIS pal. v. Srzeński.
 PLOCENSIS subiudex v. Rościszewski.
 PLOTEL (Plotel) in Samogitia, 163, 239.
 PŁOWCE, lacus, 446.
 PODWOYSKI Petrus, scultetus pagi Olexia, 266.
 PODOLEZ, puer, nob. Pol., 276.
 PODOLIA, 188.
 POJURY (Poyury), Pojurensis, 139, 355.
 POCOLENSIS pal. v. Chlebowicz, *etiam* Dowojna.
 POLONIA *passim*.
 POLONIA MAIOR, 95.
 POLUBINSKI Nicolaus, adolescens Ruthenus, 110.
 POMERANIA, 55, 392-3, 412.
 POMESANIENSIS ep. administrator v. Dantiscus.
 POMESANIENSIS ep. v. Queiss, v. *etiam* Specratus.
 POSNANIA (Poznania, Posen), Posnaniensis, 6, 23, 49, 95, 153, 167.
 PRAECOPENSI "Caesar" Turcarum, 317.
 PRAEMISLIENSIS ep. v. Szoldrski.
 PRAŽMOWSKI Ioannes, nob. Pol., 125.
 PREJWISZKI (Prejwiski), pagus, 319.
 PROSPERUS Ioannes, civ. Gedan., proscr., "Schipper", 31.
 PRUSSIA *passim*.
 PRZASNYSZ (Przassnis), 95.
 PYOTRCOV v. Petricovia.
 PYZ v. Jarisbork.

Q

- QUEISS (Kweiss) Erhardus, ep. Pomesanensis, 38.
 QUIDZINUM, Kwidzyń (Insula Mariae, Marienwerder), Quidzinensis, 12, 44, 193.

R

- RACIEZINENSIS (Raciaż) v. Niszczycki Stanislaus.
 RADOM, RADOMIA, 439, 440, 443.
 RADZIWILL Barbara v. Barbara regina Pol.
 RADZIWILL (Radivil) Ioannes, cap. Samogitiae, pincerna M. D. Lith., 239.
 RADZIWILL Nicolaus, suprem. marsalcus, M. D. Lith., 403.
 RAGNETA (Ragnetum), Ragnecensis (Ragnicen-sis), 187, 227.
 RAJGROD (Rajigrod), lacus, 319.
 RAKOVO, 440.
 RAKOWSKI Michael, nob. Pol., 432.
 RANISCH Thomas, civ. Regiomontanus, 385.
 RAMBIELIŃSKI v. Rembieliński.
 RATH Clemens, servitor ducis Alberti, 342.
 RATHBORIENSIS Ducatus, 149.
 RATISBONA (Ratispona, Regensburg), 231, 247.
 RAUTERUS Ioannes, leg. ducis Alberti, 384, 406.
 REGENSPURG v. Ratisbona.
 REGIUS MONS (Mons Regius, Konigsberg), Regiomontani, 3, 4, 19, 30, 33, 37, 46-7, 51, 57, 80, 85, 90, 125, 139, 148, 155, 175, 233, 258, 274, 298, 300, 307, 311, 353, 368, 385, 396, 410, 413, 423, 430.
 REMBIELIŃSKI (Rembieliński) Albertus, nob. Pol., 28.

- REPPICHAU (Repchaw) Eckius, a. leg. ducis Alberti, 52.
 RHEDEN, bona, 142.
 RHENI (Reni) pal. v. Fridericus, v. *etiam* Otto Henricus.
 RICHTER Franciscus, civ. Regiomontanus, 407.
 ROGALE, pagus, 208, 440.
 ROGIENICE (Roginiice), v. Jeziorkowski.
 ROGUSKI fratres, possessores bonorum Vilkian, 171.
 ROMANORUM Caesarea Maiestas v. Carolus V.
 ROMANORUM Regia Maiestas v. Ferdinandus I.
 ROMANUM S. Imperium, 229, 247, 257, 317, 371.
 ROMANUS, civ. Grodnensis, 155.
 ROPACH v. Gockel.
 ROSCISZEWSKI (Roschischevsky) Iacobus, subiudex Plocensis, 368.
 ROSENKRANZ Lucas, civ. Gedan., proscr., "Wollemocher", 31.
 ROTEMBERGH Ioannes, aulicus reg. Pol., 146.
 ROSTOCHIENSES (Rostoczanenses), 233.
 RÓŻYŃSKO (Rozinsko), pagus, 208.
 RUDOWO, 143.
 RUSSA, fl., 220.
 RUSSIA, Rutheni, Ruthenus, Rutenicus, Ruthenica, 3, 49, 88, 95, 106, 110, 401.
- S**
- SADŁO Iacobus, civ. Vassosensis, 432.
 SAMOGITIA, Zmuthsky (Zomoitskii), 8, 20, 43, 53, 108, 144, 196, 212-3, 220, 227, 233, 239, 271-2, 305, 316, 326, 346, 355, 401, 410.
 SANDOMIRIA (Sandomiria), Sandomiriensis, 39, 258, 410.
 SAXO Donatus, civ. Alsteinensis, 248.
 SAXONIA, 304, 313, 357-8, 370-1, 393.
 SCEPUSIUM (Spisz), 314.
 SCHEMILOWSKI OTTA Paulus, nob., 302.
 SCHENSEME v. Kowalewo.
 SCHERESZOW, 421.
 SCHESSUPA (Szeszupa), fl., 280.
 SCHEUBEL Cholian, nob., 32.
 SCHIDLOW v. Szidłów.
 SCHIEPRCZ, Sierpc, 95.
 SCHLIK Quirinus, consil. ducis Alberti, 86.
 SCHOLCZ Henricus, civ. Gedan., proscr., 31.
 SCHOLCZ Paulus, civ. Gedan., proscr., 31.
 SCHOMBERGK Crispinus, proconsul Regiomont., 19.
 SCHÖNSEE (Schensehe) v. Kowalewo.
 SCHTUMENSIS cap., 187; v. *etiam* Czema.
 SCHWAEB (Swab), 333.
 SCHWALINA Stanislaus, 182.
 SCHWARTZ (Szvarcz) Ioannes, 187.
 SCHYDLOVIESZ v. Szylowiecki.
 SCLUTZ, Stuck v. Surnak.
 SCLAVI, 55.
 SEDOMIRIA v. Sandomiria.
 SIBENEYCI Martinus, civ. Elbing., 31.
 SIEMNO (Simno), Symnensis bona reginae Bonae, 3, 228, 231, 265-7.
 SIENIEŃSKI Ioannes, adolscens nob., 333.
 SIERPC v. Schieprcz.
 SIGISMUNDUS I rex Pol., 1, 3-42, 44-9, 51-8, 60-6, 68-73, 81-86, 89-105, 108-17, 124-5, 127-33, 145-6, 148-54, 156-62, 165, 167-9, 171-7, 179-83, 187-91, 193-5, 198-202, 221-4, 227-9, 231, 233-4, 236-41, 243-5, 247-57, 259-60, 262, 265, 267, 270-4, 277-9, 281-2, 284, 290-2, 294, 296-7, 301-3, 309-10, 313, 315, 322-5, 327, 330-1, 337-8, 341, 348, 350, 354, 357-8, 362-3, 366, 368, 370, 380, 382, 387, 390-1, 393-5, 397, 400, 402, 412, 414, 416, 418-20, 424, 433.
 SIGISMUNDUS II AUGUSTUS rex Pol., 88, 117, 147, 164, 178, 186, 192, 204-9, 230, 232, 235, 242, 256, 258, 261, 263, 268, 275-6, 280, 285-6, 288-9, 298, 300, 304-8, 311, 314, 316-21, 326, 328-9, 332-6, 339-40, 342-7, 349, 351-3, 355-6, 359-61, 364, 367, 369, 371-9, 381, 385-6, 388-9, 392, 396, 398, 401, 403-4, 406-7, 410-1, 413, 415-7, 419, 421-4, 426-7, 429-30, 432, 435, 439-40, 443-7.
 SILESIA, 154.
 SIMBALIENSIS v. Wilde.
 SIMONIS et IUDAЕ ap. dies, 3, 4.
 SIRADIENSIS pal. v. Laski Hieronymus, *etiam* Laski Stanislaus.
 SKIER Franciscus, archimagicus ducis Alberiti, 134.
 SKODA Stanislaus, falsae monetae excusor, 93.
 SLESSVICENSIS dux, 189.
 SLOCZHOVIENSIS (Człuchowski) cap. v. Czema Achatius.
 SLOTTIG Erasmus, mercator Gedan., proscr., 31.
 ŚLUCK (Sclutz) v. Surnak.
 SOBEK Sebastianus, symphoniacus, servitor Nicolai Wolski, 258.
 SOBOCKI (de Sobota, Sobotga), tribun. Lancliciensis, Regni Pol. supr. canc., 161, 341.
 SOCHACZEW, 23.
 SOKOLI, nobiles, de, 440.
 SOLDAW v. Działdowo.
 SOPHIAE s. dies, 208.
 SPERATUS Paulus, ep. Pomesaniensis, 180, 193.
 SPIRA (Spyra), Spirensis, 252, 279, 282, 297.
 SRZEŃSKI Felix, pal. Plocensis, 143, 254-5.
 STANISKA Barbara, de, 27.
 STANISKA Nicolaus, de, 27.
 STANISLAI s. dies, 189.
 STANKOWICZ Iussko, cap. in Szawle, 22.
 STAWŁOWIC v. Wolski Martinus.
 STARGARDENSIS v. Elsenyn.
 STEFANOWICZ (Stephanowicz), Stanislaus, factor Iurboriensis, 106-7.
 STETINENSIS civitas, 49.
 STETINENSIS dux, 55.
 STORMARIA, 189.
 STRADAUNEN (Stradaum), de, cap. 432.
 STRECKSUS Ioannes, subd. ducis Alberti, 385.
 STUMENSIUS (Schtumensis) v. Czema Achatius.
 SUDZEJKOWICZ Gyurgi (Georgius), subd. ducis Alberti, 266.
 SURNAK Iacobus, subiudex Slucensis ("von Sclutz"), 208.
 SWAB v. Schwabe.
 SWARCZ der, Andreas, civ. Gedan., proscr., mercator, 31.
 SWIDER Matthias, iudex Masoviensis, 208.
 ŚWIDERSKI Iacobus, notarius, 399.
 SYMNENSIUS bona v. Siemno.
 SYPYCHOWSKI Martinus, teloneator Posnan. et Calissien., 49.
 SZAWLE v. Stankowicz.

SZESZUPA v. Schessupa.

SZMOLNIK Matthias, subd. ducis Alberti, 173.

SZOLCZ Iacobus, civ. Caunensis, 175.

SZOŁDRSKI Andreas, ep. Premisien., 145.

SZULCZ Iacobus, adv. Caunensis, 148.

SZUMSKI Ioannes, nob. Pol., 395.

SZYDŁOW (Schedlow), 202.

SZYDŁOWIECKI Christophorus (de Schydloviecz),
pal. et cap. Cracovien., Regni Pol. canc., 2.

T

TAPIAW, Tapiensis cap. v. Kunheim G.; v.
etiam Kreitzen.

TARLO (Tharlo) Gabriel, aulicus reg. Pol., 242,
332, 335-6.

TARNOWSKI Ioannes, supr. dux exerc., 79.

TARTARI, Tartaricus, 188.

TARUSZA (Tharuscha) Bohusz, nob. Pol., 238.

TAUROGI, opp. in Lithuania, Taurogensis, 151.

THARLO v. Tarlo.

THARUSCHA v. Tarusza.

THEUTONICUS ordo, 1, 41, 64, 71, 140, 167, 187,
247, 410.

THILZA, Thilzensis v. Tilza.

THOMAE ap. dies, 139.

THOMEKE, civ. Gedan., nauclerus, 31.

THORUNIUM, 4, 34.

THRULESES v. Truchsess.

THURCA v. Turcae.

THUROWO v. Turomo.

TICOCINIUM, 411.

TILZA (Tilsza, Thilza), Tilsensis (Thilzensis),
139, 227, 346, 355, 361, 378.

TOBINSKI Ioannes, nob. Pol., 230.

TOMICKI Petrus, ep. Cracoviensis, vicecanc.
Regni Pol., 104.

TRIDENTINUM concilium, 313.

TRIDENTINUS cardinalis [Madruzzo Christophorus], 412.

TRIDENTUM, 313, 412.

TRINITATIS ss. et s. Augustini monasterium,
364.

TROCENSIS arx, 364.

TROCENSIS castellanus v. Chodkiewicz.

TROXUS v. Truchsess.

TRUCHSESS (Thruleses, Troxus) Conradus, subd.
ducis Alberti, servitor reg. Pol., 209, 235,
289.

TRUCHSESS Otto, card. Augustensis, 434.

TURCAE (Turcae), Turcicus, 187-91, 195, 251,
317.

TUROWO (Thuromo), bona, 182.

TYBURCII et Valeriani ss. dies, 13.

TYNNIE (Tymne) Iacobus, civ. Nowensis, 70.

TZINK Petrus, civ. Posnanien., 6.

U

UBALDIS Baldus, de, v. Baldus.

ULMA, 354.

ULPIANUS, 193.

UNGARIA v. Hungaria.

V

VALACHIA, Valachus, 79, 165, 168, 188, 251.

VANSOSSE, Wasosz (Vasosche, Vatschen), Vas-
sosenis, 49, 160, 208, 392, 432, 440.

VARMIENSIS (Warmiensis) suffrag. v. Wilde.

VARMIENSE capitulum, 248.

VARMIENSIS ep., v. Dantiscus.

VARSAVIA (Varsovia, Warschowia), Varsoviensis,
24-30, 224, 284, 287, 434, 436-8, 441-2, 447.

VELONA (Vielunensis districtus), 150, 376.

VENDEN Bunth, liga v. Hansa.

VERDEN v. Werden Ioannes, de.

VERNER Georgius, subd. ducis Alberti, 249.

VIERZBOWO v. Wierzbowo.

VIELAWIESZ v. Wielawieś.

VIELUNENSIS districtus v. Velona.

VILHELMUS dux, 434.

VILKIAN, bona in Prussia Ducali, 171.

VILNA, Vilnensis, 36, 42, 54-6, 58-61, 106-25,
127-55, 203-50, 275, 285-6, 288-9, 298-300,
304-8, 311, 314, 316-21, 326, 328-9, 332-6,
339-40, 343-9, 351-3, 355-6, 359-61, 367, 369,
371-9, 381, 385-6, 388-9, 392, 396, 398, 413,
415-7, 419.

VIRTERBERGENSIS dux [Christophorus], 350.

VISNENIS, 172, 432, 440.

VISOCZKY v. Wysocki.

VITEBSCENSIS pal. v. Chlebowicz.

VITOWO, bona in distr. Nithboriensi, 244.

VITYNIE v. Kowalewski.

VODINSKI v. Wodziński.

VOGT Iacobus, civ. Gedan., proscr., "Riemer",
31.

VOJANOWSKI v. Wojanowski.

VOINICZ v. Wojnicz.

VOLSKI v. Wolski Nicolaus.

VOYNYUTA v. Wojniuta.

VRATISLAVIA, Vratislaviensis (Wratislaviensis), 6,
167, 252.

VYSCHROLY, taberna, 65.

W

WARMIENSIS v. Varmiensis.

WARSCHOWIA v. Varsovia.

WASILISZKI (Wasiliški), 226.

WASZILY (Wasyl) Alexius, de, 290.

WASOSZ v. Vansosse.

WENSSINUM, opp. in Pol., 156.

WERDEN (Verden) Ioannes, a, consul Gedanen.,
312, 320, 408, 421, 428, 436, 442.

WICKRAWI fl. alias Vela v. Wkra alias Wel.

WIELAWIESZ (Vielawiesz), 277-9.

WIERZBOWI Venceslaus, ep. Samogitia (Medni-
censis), 212-3, 239, 305, 319.

WIERZBOWO (Vierzbowo), bona in Prussia Du-
cali, 386.

WIESCHWIELLA, fl., 245.

WIKTHORIN Ioannes, 347.

WILDE Ioannes, ep. Simbaliensis, suffr. Var-
miensis, 5.

WILLAMSDORFF Andreas, 368.

WILLEMBROCK Iacobus, civ. Gedan., 31.

WILM N., civ. Gedan., proscr., "Gyttermo-
cher", 31.
WIRZBOWSKI Georgius, subd. ducis Alberti, 50.
WITKOWSKI Stanislaus, nob. Pol., 206.
WITKOWSKI Stephanus, nob. Pol., 206.
WKRA, fl. alias Wel (Wickrawe alias Vela), 262.
WLADISLAVIENSIS v. Drzewicki.
WŁODKOWICZ Georgius, cap. Ieragolensis (Ejra-
golensis), 21.
WODZIŃSKI (Vodinski) Stanislaus, adolescentes,
373.
WOJANOWSKI (Vojanowski) [de Dameraw] Pe-
trus, aulicus reg. Pol., 328, 352.
WOJNICZ (Voinicz), 165, 167.
WOJNUTA (Janilutha, Vovnyuta), opp. in Samo-
gitia, 346, 355, 367, 371, 378.
WOLER Hermannus, civis Gedan., proscr.,
"Schipper", 31.
WOLOWICZ Bogdanus, equiso Grodnensis, 62.
WOLSKI Martinus de Stawlowicze, 431.
WOLSKI (Volski) Nicolaus, cast. Sandom., re-
ginae Bonae mag. curiae, 258.
WOYNA Thomas, 182.
WOYNUTA v. Wojnuta.

WOYTKOWICZ Martinus, nob. Pol., 253.
WRATISLAVIENSIS magistratus v. Vratislavia.
WULFF, civ. Gedan., proscr., "Harnischwi-
scher", 31.
WYSOCKI (Visoczky) Georgius, 337.
WYSOCKI, Ioannes, 337.

Z

ZABRZEZIŃSKI (Zabrezinski), tenutarius silva-
rum in M. D. Lith., 266.
ZACZECZKI Ioannes, civ. Vassosensis, 432.
ZACZIECZKI, pagus, 440.
ZBANS v. Paczkowski.
ZEBRZYDOWSKI Florianus, secret. Sig. Augusti
reg. Pol., 364.
ŻELISLAWSKI Michael, succamer. Marienburg.,
16.
ZIABKA Georgius, Regni Bohemiae procanc.,
257.
ŽIKGMONT v. Sigismundus Augustus.
ZMUTHSKY, żomoitskii v. Samogitia.

T A B U L A E

TAB. I

SIGILLA SIGISMUNDI I



I (*Sigillum maius Poloniae, 75 mm.*)

SIGISMVNDVS. DEI. GRA. REX. PO-
LONIE. MAGNVS. DVX. LITHVANIE.
RUSSIE PRUSSIEQ*) DNUS. ET. HE-
RES.

II (*Sigillum minus Poloniae, 46 mm.*)

S.S.P. DNI. SIGISMVNDI. D.G. REGIS.
POLOIE. MAGNI. DVC*) LITVANIE. ŽC



III (*Signetum 13.15 mm.*)
S*(igillum)*, D*(omini)*, S*(igis-
mundi)*.

*) *Hic signum contractionis.*

TAB. II

SIGILLA SIGISMUNDI I (cont.)



IV maius (*Sigillum maius Lithuaniae*, 69 mm).

SIGISMVNDVS. DEI. GRACIA. MAGNVS. DVX. LITHVANIE. RVSSIE. SAMAGITHIE. ETC.

(*Supra scutum in medio*): **S.M.D.L.** (*Iuxta scuta lateralia*): **PATERNV. MATERNV. KIOVIENS. VOLHIN. SAMAGIT.***)



IV (Sigillum minus Lithuaniae,
32 mm).

**SIGISMU · DEI. GRA. MAGI. DVC.
LITVA·**

* Incriptiones partim illegibiles, sec. Gumowski, *Pieczęcie królów polskich, emendatae*.

SIGILLA SIGISMUNDI AUGUSTI



VIII (*Sigillum magnum Poloniae*, 87 mm).

SIGISMUNDVS. AU-
GVSTVS. DEI. GRA-
CIA. REX. POLO-
NIAE. MAGNVS.
DUX. LITVANIAE.
RVSSIAE. PRUS-
SIAE. MASOVIAE.
SAMOGITIAE. ETC.
DOMINUS ET HE-
RES.



VII et VII a (*Sigilla minora Poloniae, « sigilla cancellariae »*, 47 mm).

SIGISMUNDVS. AUGUST. D. G. REX. POLONIAE. MAG. DVX. LITHVA. ETC.

TAB. IV

SIGILLA SIGISMUNDI AUGUSTI (cont.)




VI maius (*Sigillum maius Lithuaniae*, 72 mm).

SIGISMUND. AVGV. D. G. REX. POL. MAG. DVX. LITVAN. RVS. PRVS. SAMOGIT. MAZO. ETC. DO. ET. HERES. (*Iuxta scuta lateralia*): **PATERNVM- KIOVIENS- SAMOGITIAE- VOLHYNIE- MATERNVM.*)**

SIGNETA:



V (17.14 mm)



IX (13.17 mm)

S(igismundus) **A**(ugustus) **R**(ex) **P**(oloniae)

* Inscriptiones vix leguntur, sec. Gumowski emendatae.




VI (*Sigillum minus Lithuaniae*, 38 mm).

SIGISMUNDVS. AVGVST. REX POLON. MA. DVX. LITHVANIAE.



IX maius (20.25 mm)

S I G I L L A R E G I N A R U M




X (42 mm)

BONA. SFOR. ARAG. D. G. REGINA.
POLONIE. MA. DUX. LITVANIE.



XI (30 mm)

(Elisabeth regina Poloniae)



XII (44 mm)

BARBARA. DEI. GRACIA. REGINA.
POLONIAE. MAGNA. DVX. LITVANIAE.

TAB. VI

SIGILLA REGINARUM ET REGINULARUM



XIII maius, (45 mm)

KATERINA. D. G. REGINA. POLONIAE.
M. D. LITHVANIAE. ETC.



XIII (28 mm)

KATERINA. D. G. RE. POLO.
M. D. LIT. ETC.



XIV (12.16 mm)

Y(sabella) R(egina) P(olonia) N(ata)



XV (22 mm)

SERENISS. REGINVLARVM.

Sigismundus Secundus de gratia Rex Polonie' Magnus dux Lithuaniae' Russie' totiusq; Prussiae' Masovie' etc
dominus et heres Illustre Princeps domino Alberto eadem gratia Marchiong Brandenburgensi in Peufmia'
Stetim Pomeraniae Casimborum ac Sclauorum duci et crucis Princeps consanguineo nostro charissimo
salutem et omne bonum Illustre Princeps domine consanguineo nostri charissime Legatos filios vestrie
peregrinato accipimus et audiimus animo nonnulla nobis vestie nomine coram referentes quibus pli
nam accommodavimus fidem. atq; in iis que nobis postularunt apud Scz m' regem dominum et pa
rentem nostrum colendissimum non gravatim operam et mitec sibi nra interposamus. Idem semper
facturi qvoties opus fuerit. Commisimus autem eisdem legatis ut nro nomine vestram vicissim
diligenter inviscent ac salutarent. Et que de mente nra procedant verbis exponent eidem qd
vestri. quam et felicem diutissime valde cupimus ex animo et sanam trahimemq; semper.
Data Cracoviæ die xxix Januarii Anno Dcccij

Sigismundus Secundus
Rex ff.

Epistola Sigismundi Augusti pueri ad Albertum. N. 88.

QUandoquidem ex multiplicata moneta, plurimum ad Regnum nostrum detri-
 menti peruenit, que non aliunde multiplicata magis est, quam ex eo, quod Illu-
 stris Dominus Albertus Marchio Brandenburgensis in Prussia Dux noster
 noster charissimus, postquam ipsi cedere monetam desimus, tot edictis & denū-
 ciacionibus nostris de sententia & consilio omnium Regni nostri ordinum fac-
 tis, adduci non potuit, vt quam ad rem exemplo etiam nostro erat iniuitatus, ab
 ea cedenda supercederet, habita cum Regni nostri Consiliarijs matura deliberaci-
 one, quemadmodum prouideri posset, ne plus etiam deinceps ex hac tanta mone-
 ta multitudine, quam summa propterea vilitas est consecuta, Regnum nostrum
 detrimenti caperet, solam hanc rationem inuenimus, vt edicto nostro cautelemus,
 ne quis in posterum in Regno nostro ea uti auderet, Quoniam vero repente adeo
 vsum eius interdicere absq; graui multorum iactura non potuimus, certu tempus
 prescribendu duximus, intra quod prouidere omnes tencantur, vt omne monete
 genus quod cudit Illustris Dominus Albertus in Prussia Dux, ex finibus Regni
 nostri exterminetur, Quamobrem mandamus presentibus, vniuersis & singulis
 cuiuscunq; status & conditionis fuerint, vt quicquid habuerint monete ex offici-
 na Illustris domini Alberti in Prussia ducis Nepotis nostri charissimi, id omne
 ante festum diui Michaelis proximum, qua possunt ratioe exportandu ex Regno
 nostro curent, Quodsi qui citra incommodum suum facere non possunt, tum
 Cracouiam in officinam nostram monetariam omnem eiusmodi monetam co-
 portent, Iustum pro ea pretium accepturi, Quodsi quis post festum Diui Mi-
 chaelis proximum eam habere deprehensus fuerit, vbiq; reperta erit, eam in
 comissi causam cecidisse decernimus & fisco nostro volumus applicari, Nisi for-
 te in his Comitijs que in Regno nostro proxime per nos habebuntur aliud erit
 aliquid consultum, in eos qui edictum hoc nostrum violare, ausi fuerint, De ea ve-
 ro moneta quam Illustres domini Iohannes Marchio Brandenburgensis & Fri-
 dericus Dux Legnenses cuderūt, quod pridem edictum fuit authoritate nostra
 Regia promulgatū ne quis ea in Regno nostro vteretur id ratum esse & iterari
 volumus, Quod si quis vero circumuentus fuerit, ne maius ex ea detrimentum
 paciatur, Volumus vt ante festum diui Iohannis baptistę eam ad officinā nostram
 monetariā perferat: pro singulis grossis quinque ternarios accepturus, Quod si
 qui ea vti post festum Diui Iohannis voluerint in eos pena falsi animaduertemus;

*Mandatum Sigismundi Augusti
ad praefectos praediorum ruthenice scriptum. N. 401.*

**FINITO DI STAMPARE CON I TIPI DELLA
TIP. EDIGRAF - ROMA - TEL. 8271694
IL 26 NOVEMBRE 1973**

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES (cont.)

- Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.
- Vol. VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1963.
- Vol. IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572) 8 tab. Ind. nom. propr. 1964.
- Vol. X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. XVI+343, 1399 doc. (A.D. 1568-1676) 12 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.
- Vol. XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214 doc. (A.D. 1567-1578) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.
- Vol. XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., 1964.
- Vol. XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab. Ind. nom. propr. 1965.
- Vol. XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab. Ind. nom. propr. 1965.
- Vol. XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1586), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1966.
- Vol. XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1589), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1966.
- Vol. XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1967.
- Vol. XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab. Ind. nom. propr. 1968.
- Vol. XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VI pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1968.
- Vol. XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, II pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 266 doc. (A.D. 1577-1696) 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VI+324, 1969.
- Vol. XXI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VII pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, 187 doc. (A.D. 1491-1696) 2 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+262, 1970.

- Vol. XXII** — *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS, doc. 183 (A.D. 1535-1588) pp. VIII+210, 2 tab. 1970.
- Vol. XXIII** — A. *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi* II pars. Doc. NN. 184-319 (A.D. 1598-1772) Ind. nom. propr., ind. chron. B. *Documenta Polonica ex Archivo Capitulari in Brisighella*. 63 doc. (A.D. 1578-1588) Ind. nom. propr., ind. chron. Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS p. 297, 2 tab. 1970.
- Vol. XXIV** — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* III pars. Ed. C LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 152 doc. (A.D. 1419-1564) pp. VIII+301, 4 tab. 1971.
- Vol. XXV** — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* IV pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN 78 doc. (A.D. 1563-1572). 6 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+248, 1971.
- Vol. XXVI** — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 145 doc. (A.D. 1559-1589) 4 tab., pp. VIII+320, 1972.
- Vol. XXVII** — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 262 doc. (A.D. 1589-1612), pp. VIII+377, 1972.
- Vol. XXVIII** — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 205 doc. (A.D. 1613-1626), 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., pp. VIII+376, 1972.
- Vol. XXIX** — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* V pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 139 doc. (A.D. 1578-1630), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+376, 1972.
- Vol. XXX** — *Documenta ex Archivo Regiomontano ad Polonię spectantia*, I pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, 447 doc. (A. D. 1525-1548), 9 tab. Elench. epistolarum, elench. sigillorum, ind. nom. propr., pp. XII+259.
 — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* VI pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN (in praeparatione).
 — *Documenta ex Archivo Regiomontano ad Polonię spectantia*, II pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA (in praeparatione).
 — *Res Polonicae ex serie Card. Morone in Archivo Secreto Vaticano*. Ed. C. LANCKOROŃSKA (in praeparatione).

DEPOSITARI:

« International Book Distributors »
 LIBRERIA
 117-120, Piazza Montecitorio
 00186 ROMA

Orbis (London Ltd.)
 66, Kenway Road
 London S.W.5.

Institutum Historicum
 Polonicum Romae
 284, Via degli Scipioni
 00192 ROMA

Pretium: Lit. 6.500, \$ 11,50, £ 4,50